

DE VSV CALICIS
IN SYNAXI, CONTRA VETERA-
TOREM BARTHOLOMAEVM LA-
TOMVM DEFENSIO.

A V T O R E,

IACOBO ANDREÆ D. ECCLÆ
sæ Gœppingensis Pastore.

PSAL. 55.

Tu uero Deus, deduces eos in puteum interitus: Viri sanguini-
num & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem *
sperabo in te.



TUBINGAE, APVD VIDVAM VLRICI MOR-
HARDI, ANNO DOMINI 1560.

DE VSA CALIGIS

IN ANGLO CONTRA VENETI

ET ALIIS IN CIVITATIBUS

AD TERRAM PIMOT

ДОТУХ

1799 О ПЕЧАТА ОГОСАІ

ПОДІЛЯВСЯ ПОДОБНО

ДО ТІСНІ

1799 О ПЕЧАТА ОГОСАІ

ПОДІЛЯВСЯ ПОДОБНО

030056 535

GENERIS NOBILI- TATE, VIRTUTE ET DOCTRI- NA PRAESTANTI VIRO D. BALTASARO A Giiltlingen, Ducatus Vuirtember- gensis Camerario hæredi- tario, &c.

MVLTAE CAVSÆ SVNT, VIR AMPLISSIMÆ,
me, cur, quæ aduersus blasphemum rabulam Bartholomæum
Latomum hisce octo diebus, quos in eius libro perdidii, anno-
taueram, tuo nomini inscriberem. Principem locum obtinet
singularis tua pietas, erga ueram synceramq; Religionem
zelus, quam incorruptam, ex ab omnibus erroribus vindicatam, exoptas.
Deinde eximum tuum, erga omnes Euangelicæ ueritatis assertores, studia-
um, quos iam inde ab initio in corde tuo reuelati Euangelijs, in summo apud
te præcio fuisse, multis documentis comprobatum est. Postremo nunquam sa-
ris in te laudata opera, qua pro tua sapientia singulari eorum iuuasti studia,
quorum operam, quandoq; aut Ecclesiæ, aut Reipublicæ salutarem fore, ar-
bitratus es. Quod et si inter uirtutes tuas postremo loco à me commemora-
tum est, apud me tamen eius memoria, cum prima laude tue pietatis occurrit
semper. Vidisti enim prudentia tua oculatißima, nunquam Ecclesiæ Christi
defuturos suos hostes, aduersus quam humani generis hostis & πόνον πωλεύο-
gerit. Ea in parte, piissimum ac sanctissimum Illustrissimi principis ac Do-
mini Domini Vdalrici Ducis Vuirtemberg. &c. studium, cui multis annis à
consilijs fuisti, tua pia quoq; promouissi opera, ut communibus & Ecclesiæ
sumptibus, liberalia educarentur ingenia, quæ si nulla alia ratione uel sala-
tem recitandis Bibliorum & Maiorum testimonij, ueritatem doctrinæ cœle-
stis, aduersus allatrantes canes, assererent & tuerentur. Id quod quoq; illu-
strissimo ac piissimo principinostro Duci Christophoro &c. hortator fuisti,
(si tamen, quod ad promouenda studia, & propagandam ueram Ecclesiæ
doctrinam, admonitione eget) ut & Collegij numerus augeretur, eiusq; libe-
ralitate non parum ad fouenda studia accederet. Id quod & in Monasticis
collegijs non sine tuo factum est consilio, ut iam in omnibus commemoratis

cetibus affulget eiusmodi messis copiosa spes, cui si benedixerit D O M I= N V S, Ecclesiæ non tam huic incliti Ducatus, quam etiam extere consola= tionem magnam capere queant. Eius alumnus cum me gratissimo animo profitear, quid tibi, in primis vero Illustrissimis nostris Principibus & Ecclæ debeat, diligenter tecum cogitavi. Etsi enim Celsitudo utriusq; Principis, multorum contubernialium meorum ex æquo iuuerit studia, disimulare tamen nequeo, peculiaria quædam esse beneficia, pro quibus me singulariter gratum exhibere, iustissimum existinem. Eius erga me clementia fuit ore me fuisse semper, multis argumentis compertum habeo, qui ipse ex animo gaudeas, quantum potes gratie conciliare ijs, quos spe uberioris fructus, qui ad Ecclesiam Christi redire possit, amore semel complexus es. Hanc com= memorationem ueram, minimeq; sicutam loco amplissimi munieris, quod me tibi debere grato animo agnosco, fore sperau. Quæ enim in nos, studiaq; nostra contulisti, non ad fructum tuum, ut uulgus solet, sed ad illius, quem dilexisti, & in primis Ecclesiæ commoda referre uoluisti, ut esset uera ben= ficiencia, non quædam, ut Cicero inquit, utilitatum suarum mercatura. Hanc igitur gratam mean uoluntatem, hac qualicunq; significatione testatam tibi facere uolui: quæ et si alijs fortasse minus grata esset, quod hoc genus scriben= di odio non caret, te tamen scio iam ita obdurasse aures ad ueritatis Euangeliæ hostium clamores, ut hoc ipso magis gratum sit munus, quo minus im= probis sapit & arridet. Deus pater Domini nostri Iesu Christi, te ad nomi= nis sui gloriam, & Ecclesiæ eius profectum, diu, nobisq; omnibus seruet sal= lum & in columem. Bene & foeliciter uale. Goeppingæ pridie Calendas Fe= bruarij, Anno 1560.

Amplitud.
tue

addictiſ.

Jacobus An= dree D.

AVGVSTAS RYTHMOICHTAUS EUGENIO A.
DE VSV CALICIS,
IN SYNAXI, CONTRA VETERA-
TOREM BARTHOLOMAEVM LATONVM
defensio Iacobi Andreæ.

In noua fert animus, mutatas dicere formas
Corpora. Dij coeptis (nam uos mutastis & illas)
Aspirate meis: primaq; ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.
Ante mare & terras: &, quod tegit omnia, cœlum
Vnus erat toto naturæ uultus in orbe,
Quem dixerat Chaos, rudis indigestaq; moles.

Miraberis forte, Lector christiane, Exordium prophanum in re sacra. Verum, si quæ sequuntur, cognoueris, fortasse mirari desines. Cum ante triennium fere Grammatici cuiusdam Embricensis, libellus aduersus Prolegomena D. Ioannis Brentij in Confessionem Illustrissimi Principis Christophori Ducis Virtebergensis, Domini mei clementissimi scripta, in lucem editus esset, non priuato consilio, sed quibus oportet in hac parte morem gerens, eius breuem ac extemporaneam refutationem scripsi. Interalia, quæ libellus habet blasphema, occurrebat etiam, quod de communione sub utracc, vt vocant, specie sumenda scripserat: Institutionem Christi multis modis incommodam fuisse: Ideoq; non sine causa à S. Patribus mutatam. Hic in mentem venerat ei-

A ij usdem

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

usdem blasphemiarum, quam in eodem argumento Bartholomaeus Latomus Iurisperitus, aduersus Buccerum quoque piæ memoriarum doctissimum Theologum scripsérat: Cum adhuc rudis esset, inquit, prima Ecclesia, ritum à Christo traditum religiosè tenuit, donec docta à Patribus intellectum, utramque speiem conuenire Sacerdotibus, Laicos solo pane contentos esse posse: Et quām atrox esset in Christum blasphemia, Apostolos & primam Ecclesiam contumelia, paucis docui.

Ac fore sperauí, si forte hic meus libellus in eius perueniret manum, vt hanc suam sententiam, quę ei inconsideratō excidisset, corrigeret, vels altem moderata explicatione mitigaret.

Verū quām ægrē hoc meum officium tulerit, & quām non blasphemiarum huius hominē pœnituerit, acerbo scripto docet, superiore anno aduersus me edito, in quo huius erroris patrocinium ex professō fuscipit, & me admodum contumeliose exagitat, ira atque odio, ne dicam furore, adeo incensus ac inflammatus, vt ne quidem togæ pileorum meo & gladio vt vocant venatorio, pepercerebit,

Eisi vero hominem responso indignum iudicabam, quod Lectori liberum permitterem, vt de illius & meo scripto iudicaret, qui facile perspecturus esset, uter meliorem causam haberet, Ego ne, qui institutionis Christi integratatem & primæ Ecclesie doctam simplicitatem vindicaueram; an vero ipse, qui

qui cain ruditatis accusauit, veritatem magis perspi-
cuè è patribus , quàm Christo & Apostolis tradi-
tam. Hoc perspecto , quid de conuicj̄s eius , meaq;
innocentia iudicaret, æquo animo ferrem. Quàm e-
nim argumenta hominem deficiant , qui vt aliquid
haberet, quod in me reprehenderet, ad togam , pile-
um, & gladiolum meum sese cōuerterit exagitanda,
quis altem rationis beneficio præditus est , facile vi-
dere poterit. Quapropter nec causam desertam, nec
famam nominis mei periclitaturam existiniabam , si
maximè homini nō responderem, ut tempus , quod
eius nugis refutandis impenderetur , melius collo-
caretur.

Verūm nō destiterunt Domini et amici mei viri
integerim , à me responsum efflagitare , quo non
tam veritatis causa à blasphemia , & nomen meum à
calumnia , quàm Illust. Principis mei , Domini cle-
mentissimi honor vindicetur; cuius insigne pro mo-
re Principum aulico vestiti infixum , in me repre-
hendit , quo Concionatores aulici induti , in cōspe-
ctum Cels. cius & Ecclesiæ in obeundo suo munere ,
prodeunt.

Patior ergo me illorum & precibus & efflagita-
tionibus vinci; & breuem ac modestam hanc refuta-
tionem scripsi , quam spero æquo Lectori satisfactu-
ram. Latomus si mihi irascatur, sibi imputet. Cur e-
nim tam contumeliose in me inueheretur, causam nō
dedi. Nam quod verum est , scripsi , Eius si amans
est,

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

est, errorem agnoscat, blasphemiam non defendat,
quæ à Latomo commissa, hoc scripto perspicuè do-
cebitur.

Sequar autem ordinem ab ipso Latomo in suo
scripto obseruatum, & ad omnia, quoad eius fieri
potest, breuissimè respondebo.

Quod statim ab initio me lupum in caula ouili,
et hominem, sicut res ipsa ostendat, mente & lingua
in alieni nominis contumeliam paratum esse, clamia-
tur, Rhetorum more agit, ut odiosis hisce compel-
lationibus sibi aduersus me lectoris conciliet ani-
mum. Sed pius & candidus lector hoc fuso sibi im-
poni non facile patietur, cui non ignotum est, quos-
uis pro lupis denunciari, qui etiam in rebus leuissi-
mis pontificiæ impietati contradicunt. Si autem ve-
ritatis explicatio contumelia est, fatebor crimen mi-
hi à Latomo intentatum. Quia vero re ipsa, hoc est
scripto meo edito hoc suum commentum cōfirma-
re conatur, lectorem rogatum velim, ut tam diu su-
um suspendat iudicium, donec rem ipsam, quæ agi-
tur, cognouerit.

Status. Nam inter Latomum & me controuertitur: An
primitiua Ecclesia, per Christum & Apostolos in-
stituta, rudis adhuc in eo fuerit: quod vtracq; parte
Sacramenti vsa est: An vero illa, que longè post per
Patres docta: quod Calix Sacerdotibus conueniat:
Laicos autem solo pane posse contentos esse: Vtra
inquam rudior fuerit Ecclesia, quæritur: Illa ne, quæ
iuxta

iuxta institutionem Christi integro Sacramento vſa
est, an verò hæc, quæ iuxta, nescio quorum Patrum
doctrinam, mutilato, dimidiato, hoc est, vna tantum
parte Sacramenti vtitur.

Hic nihil vaniloquorum Rhetorum aut Sophi-
starum more inuoluo, sed veritatem simplicissime
propono. Qui enim contendunt, laicos quoq; ad
communionem Calicis admittendos, primæ Eccle-
siæ exemplum proferunt, in qua laici quoq; inte-
gro Sacramento vtebantur. Ad hoc respondet La-
tomus. Ecclesiæ illam primam adhuc fuisse rudem;
si cum ea conferatur, quæ post secuta est, Patrum do-
ctrina magis expolita. Hæc Latomi sententia est,
quam etiam non negat, sicut perspicua explicacione
docebitur.

Contra, ego contendo; Ecclesiæ illam primam,
quæ ritum à Christo traditum, religiose tenuit, esse
doctam, eruditam, expolitam, formatam, & si cum
Ecclesijs quæ secutæ sunt, conferatur, omnibus suis
partibus absolutam fuisse, puram, splendidā & gra-
tijis ornatam, quarum aliqua ex parte posterior ca-
ruit.

Sed præstat, prius cognoscere, quomodo Eccle-
siæ primæ ruditatem, & hanc suam loquendi formā
probare conetur. Quid inquit, aīs fortissimè pro-
pugnator? Ego impius tibi ac blasphemus videor[“]
qui Ecclesiæ primam nascentem adhuc, nec dum[“]
formatam in omnem partem, rudem appellaui. Vbi[“]
B legisti[“]

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

,, legisti obsecro hanc Grammaticam, quæ talí in re
,, prohibeat sic loqui : Rudis indigestaq; moles, dixit
,, Poëta quispiam, de primis rerum elementis loquēs.
,, Tu nulla rudimenta tribues primæ Ecclesiæ ; Hæc
Latomus. Hic opinor vides Christiane lector, cur
in exordio aduersus prophanum hominem pro-
phani vſus sim poëtæ versibus. Eius enim authorita-
te conatur suam impietatem probare Latomus, si-
biq; eadem Grammatica licere putat; Ecclesiam pri-
mam appellare rudem, qua poëtæ, qui de primis re-
rum elementis scripsit : Rudis indigestaq; moles.
Authoritate tam sancti Prophetæ, qualis fuit Qui-
dius, me vīctum fatear necesse est, ut rudem fuisse
primam Ecclesiam concedam scilicet.

Multis annis neglecta iacuit poësis, sed beneficio
Latomi & Hosij, non solum in pristinam dignita-
tem reuocantur eius autores, sed sacerdotes facti,
etiam ad stabiliendam Ecclesiæ adhibentur doctri-
nam. Nec tibi ingratum sit, Grammatico defuncto,
socium adiungi Hosium Varmiensem Pseudoepi-
scopum. Eiusdem enim ordinis Prophetæ testimo-
nio principes Christianos à iudicio & cognitione
veræ religionis repellit. Cùm enim Dauidis exem-
pli doceret Brentius, à Magistratus officio nō alie-
num esse, de doctrina Religionis cognoscere & iu-
dicare, quia Psalmos scripsiterit, quibus iudicium Da-
uidis in doctrina Religionis demonstretur : Hosius
versum ex Horatio producit: scribimus in docti, do-
ctiq;

Etiç̄ poëmata passim. Quid h̄c haberet Brentius,¹⁰
 quod huius Prophetæ testimonio opponat? Eius= dem authoritate Agricolam de communione sub vtraç̄ specie aduersus Harpagum suum differētem reuocat; cui disputare de sacramento Cœnæ Domini= nicæ integro sumendo sit piaculum. Scriptum est n.
 Nauita de ventis de tauris narrat arator. Desines nunc, vt opinor, candide lector, mirari, cur Poëtæ proæmīum huius scripti mei exordij uicem sup= pleuerit. Si ex Grammatici Embricensis armario Donatum & Adagia Erasmi cum fabulis Aesopi adiunxerit Latomus uel Hosius, quantus futurus est exercitus ad oppugnandam veritatem eductus?

Sed heus tu bone vir, Num tibi licere putasti, pri= mā Ecclesiam appellare rudem, quia de Chao simi= liter locutus est Ouidius? Agnoscimus apud Poë= tam rudem & indigestam molem, quam etiam Pro= pheta Moses descripsit, à Domino sex dierum spa= tio, in eum, quem oculis aspicimus, distinctam mun= dum. Sed quæ impietas est, Latome, Christo & A= postolis, in doctrina & disciplina Ecclesiæ, Sacra= mentorumq; administratione & vsu tribuere, quid= rudem & indigestam molē Ecclesiæ tradiderint pri= mæ, per Patres demū longo temporis interuallo di= stinguendam & expoliendā? Num ad perfectionem, doctrinę quidq; defuit? In disciplina aliquid desidera= tum est? Ad Sacramētorum administrationē quid= quā necessarium, suit à Christo uel Apostolis inter=

B. n. missum;

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Ioan. 15. missum: Cum Christus dicat: Seruus nescit, qd faciat
Dominus eius, Vos autē dixi amicos, quia omnia,
quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Et D. Pau-
Act. 20. lus: Contestor vos hodierno die, quòd mundus e=

go sum à sanguine omnium, Non enim subterfugi,
quòd minus annunciam omne consilium Dei vo=

bis. Si vero tibi Apostoli & Christi non satis facit

In defens. A= authoritas, audias Azotum tuum aduersus D. Bren=

zotus, part. 1. tium in defensione suæ Catholicæ confessionis lo=

Cap. 47. quentem: Ecce, inquit, Ecclesiæ Christi ortum & na=

tivitatem, imò ecce nunc perfectam & integrum Ec=

clesiam, nec enim credenda est tunc utcunq; & im=

perfecta, sed integra, certa & perfectissima, nihil ei

quod ad veritatem & perfectionem attinet, deerat,

non Sacramenta, non verus Dei cultus, non co=

gnitio & fides Mysteriorum, non Ministri, nō de=

nigz aliquid, quod ad salutem desiderari possit, Iam

Spiritus sanctus docebat Apostolos omnem veri=

tatem. Hæc Azotus, de perfectione primæ Ecclesiæ,

Eius loco tu nobis singis, Ecclesiæ primam fuisse

puellam, & lusisse cum pueris, hoc est communio=

ne sub vtraq; specie vsam esse, postea vero adultio=

rem factam, de magis seria re cogitasse, videlicet de

mutilando Sacramento, et altera eius parte abrogan=

da. Et iterum: Quæ rogo, verior Ecclesia, quām A=

defens. part. 1. postolorum, sub oculis & præsentia Christi congre=

gata:

,, Sed aïs; Tu nulla rudimenta tribues primæ Ec=

clesiæ:

Azotus in
defens. part. 1.

Cap. 23.

clesiæ nullam quasi infantiam , nulla incunabula ,
 quasi vagienti adhuc spōsæ Christi concedess. Dum
 Ecclesiam à Christo & Apostolis plantatam , tan=
 quam infantem , in cunis vagientem collocat , quan=
 ta in Latomo scripturarum ignorantia sit , perspici=
 tur. Num infans & vagiens tibi videtur Ecclesia?
 que visibili Spiritus sancti dono & charismate vber
 rimè donata , varijs linguis loquebatur & celebra=
 bat magnalia Dei? D. Petrus in Actis inquit ; Hoc Actv. 2.
 est , quod dictum est per Prophetam Ioel : Et erit in
 nouissimis diebus , dicit D OM IN V S : effundam
 de Spiritu meo super omnem carnem , & propheta=
 bunt filij vestri & filiæ vestræ , & iuuenes vestri vi=
 siones videbunt , & seniores vestri somnia somnia=
 bunt , & quidem super seruos meos , & ancillas me=
 as , in diebus illis effundam de Spiritu meo , & pro=
 phetabunt. Et Christus : Signa eos , qui in me cre=
Mar. 16.
 dent , hæc sequentur : In nomine meo Dæmonia ejus=
 cient , linguis loquentur nouis , serpentes tollent.
 Hæc ne infantium sunt & vagientium Latome?

Potuisset hac ^{anopla} te liberare D. Paulus , si , quæ ad Gal. 4.
 Galatas scripsit , meminisses : Quanto tempore (in=quit)
 hæres parvulus est , nihil differt à seruo , cum sit
 D OM IN V S omnium , sed sub tutoribus & a=
 ctoribus est , usq; ad tempus , quod Pater præscripse=rit.

Sic & nos cum essemus Pueri , sub Elementis
 mundieramus , in seruitutem adacti. At ubi venit
 B ij plenitudo

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

plenitudo temporis , emisit Deus filium suum , factum ex muliere , factum Legi obnoxium , vt eos , qui Legi obnoxii erant , redimeret , vt adoptione ius filiorum acciperemus . Hic vides Latome , quo tempore vagitus incunabula , & infantia Ecclesiæ definienda sint , quam diu scilicet homines sub Lege tenebantur , si Apostolo credimus ; tempus vero quod tu infantiae Ecclesiæ tribuis , D. Paulus plenitudinem temporis , & à Deo descriptum tempus appellat , quo Ecclesia adolescens iugum Legis tutoris & actoris excusit , & nunc libera omnium bonorum hæres , ambulat .

Si vero magis accuratè & copiose rem persequi velimus , infantiam Ecclesiæ à temporibus Adæ ad Abrahamum , pueritiam vero usq; ad Dauidem , per singularum ætatum gradus procedendo , Adolescentiam ad Christi usq; aduentum , definiremus . Sed tamen faciemus singulos suis temporibus in Christum credentes , tantum lucis habuisse , qua per fidem æternam in Christo salutem consecuti sunt . Nihilominus tamen stat Apostoli sententia , de suis & posterioribus temporibus loquentis , quod in ipsis finis sæculorum deuenerint . Et Iohannes : Filioli nouissima hora est , &c.

Quod autem ex Paulo profers mutilatum testimoniū , qui dixit se lacte & non cibo aliuisse Corinthios , quia vt carnales ferre nōdum poterant , & ad Hebræos : factos illos esse ait , quibus lacte opus sit ,

st, nihil prorsus ad rem facit, quæ nunc agitur. Non enim hoc loco quæritur: an Corinthi, cum pri-
mum ex Paulo Euangelium audirent, carnales fue-
rint: & infirmi, quibus lacte opus fuerit, non solidō
cibo: quis hoc ignorat Latome, quis de hoc dubita-
vit vñquam. Accidit idem reliquis Apostolis, quo-
cunq; venerant, vt lacte alerent, quos videbant solis
dum cibum statim ab initio ferre non posse. Num
vero semper lacte & pappa solum cibarunt sui tem-
poris Ecclesiam Apostoli: nunquam ne solidum ci-
bum administrarunt: Num communio sub vtra q;
specie, vt uocant, tibi vñdetur lac, & communio sub
vna specie solidus cibus: O ruditatem rudentis La-
tomi, primam Ecclesiam ruditatis accusantis: Hoc
inquam queritur, cum Latomus collationem insti-
tuerit, Ecclesiæ primæ, quæ integro sacramento vſa
est, & sequentis, quæ eius tantum vna parte utitur,
vtra rudior fuerit? Illa ne, quæ ritum à Christo tra-
ditum religiosè tenuit: an hæc, quæ contra institu-
tionem Christi, Apostolorum doctrinam, & pri-
mam Ecclesiæ praxim, incertis authoribus introdu-
ctam consuetudinem fuisse Latomo, alio delabi-
tur, & artificiosa tergiuersatione, de initijs primæ
Ecclesiæ disputat, ut fucum faciat lectori imperito.

Similiter & Christi depravat sententiam, ab ad-
uersarijs millies allatam. Adhuc multa habeo vobis
dicere, &c. Cum enim Christus suprà dixerit, Om-
nia

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

nia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis, necesse est, aut Christum sibi ipsi cōtradicere, aut alium verborum eius sensum esse, quām à Latomo affertur. Si enim omnia nota fecit discipulis, quæ à Patre audiuit, quid potuit amplius eis diceret? Si vero aliquid erat amplius, quod eis diceret, quomodo eis omnia, omnia, inquam, nota fecit? quæcunq; audiuīt à Patre suo? Sed absit, ut æterna Dei veritas sibi contradicat. Et facilis est huius, ut in speciem videtur, antilogiæ explicatio, quæ si Staphylo incidisset, ea librum suum quoq; augere potuisset. Antilogia enim esse apparet: omnia dixisse: & habere adhuc multa quæ eis dicat. Verum sic se res habet, Apostoli adhuc adeò carnales erant, ut nō perciperent ea, quæ Christus de suo spirituali regno cōcionatus erat, fascinati scilicet opinione de regno mundano, per Christum instituendo. Quamuis igitur Christus eis omnia nota fecerit, tanta tamen erat in discipulis tarditas, ut ea non intelligerent. Ablegantur ergo ad Spiritum paracletum, qui Christum in ipsorum cordibus glorificaturus esset, ut abiecta opinione de regno mundo, ea intelligerent, quæ Christus de spirituali regno concionatus erat. Ideoq; alio loco dicit: & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixi vobis.

Dum addit Latomus: An h̄c docenda non erat prima Ecclesia? Per quos autem docenda, nisi per Apostolos & eorum successores? malitiosè sententiam verborum Christi deprauat. Christus enim eo in loco

loco de Apostolis & ipsorum tarditate loquitur, vbi inquit: ille docebit vos omnia, & induceret vos in omnem veritatem. Hæc Latomus de tota Ecclesia interpretatur, quod à verbis Christi alienissimum est. Nouimus sanè, Ecclesiam non nisi à Spiritu sancto doceri & in omnem veritatem duci, sed hoc loco Christus de Apostolorum solum loquitur ignorantia. Si uero Latomus de tota Ecclesia accipit primitiua, hoc modo & in ordinem redigentur Apostoli, Non solum enim Ecclesiā cum Ecclesia, sed Doctores cum Doctoribus, doctrinam cum doctrina confert. Ac sententia Latomi est, Christum & Apostolos non ignorasse quidem, calicem non deberi laicos, sed solum Sacerdotibus: sed quoniam ipsorum tempore Ecclesia fuerit rudis, Christum cum Apostolis quoq; rudem tradidisse doctrinam & ritum: expolitionem autem eius reseruasse Patribus, qui per Spiritum Christi, laicos de calice rectius instituant. Hæc ita me Deus amet, est Latomi sententia, quam ego aduersus Grammaticum Embricensem dixi impiam & blasphemam.

Sed quā nimis benignè eius verba interpretatus sim, quæ eo loco sequuntur, docent. Nullius ne rei (inquit) suo quoq; tempore uel admonēdi inter ipsos, (Apostolos) vel per reuelationem instruendi erant. Hoc si verum est, Cur dissensit Paulus à principiis Apostolorum, etiam post acceptum Paracletum? Cur dissimulationem eiusdem parum Euāgelicam

ADVERSUS BARTHOLOMÆVM LATOMVM

licam reprehendit: Hæc Latomus. Quis non his verbis & Apostolos post acceptum Spiritum sanctum ruditatis à Latomo accusari uidet: Quid mirum, si maximè Apostoli iuxta Latomum ignorauerint: calicem non deberi laicis, cum de multis alijs quoq; rebus per Spiritum sanctum sint admoniti, quæ ignorabant, Perhorrescis Latome; blasphemiam ergo recanta, vt horrore conscientiae coram tribunalí Dei te liberes.

Quod Apostoli statuerunt, & ad fratres Antiochij, alijsq; in locis scripserunt, ex Christi præscripto factum est, cuius spiritu doctrina eius suggerebatur.

A&tor. 15. Legis onus non esse imponendum cœrūcib. gentium, quæ gratis solius Christi merito iustificarentur, abstinentiam à scortatione, ab his quæ inimolata sunt idolis et suffocato: in quorum duobus posterioribus infirmorum potissimum rationem habeant. Alias n. docent, cum idolum in modo nihil sit, idolothytum quoq; nihil esse, ac sana conscientia edi posse, modo nemo his offendatur. Sed quid hoc ad ruditatē primæ Ecclesiæ probandam: semper in Ecclesia reperiuntur, qui docendi sunt & admonendi, vt infirmis sua libertate parcāt, ne pereat frater, qui infirmus est,
i. Cor. 8. per ipsorum scientiā, propter quem Christus mortuus est. Si hoc satis est ad probatidā primę Ecclesię ruditatē, Ecclesia omnibus tēporibus rudit̄, mēbra, n. sibi inuicē succedunt, quorum ruditas verbo Apostolorum corrigitur, ut in hoc ratio dissimilitudinis sit aut prorsus nulla, aut certè nō tāta, propter quam prima

prima rudis, posterior expolita blasphemè dicatur.

Dum clamitat: D. Paulum admonere Timotheum sanæ doctrinæ, & ad Corinthios nominet Prophetas & Doctores in Ecclesia: quibus, inquit, si nihil actum est, in prima illa magna Dei domo, nihil de veritate fidei, de virtute & vsu Sacramentorum &c. traditum est à Patribus, quibus nam stetit præsidjs, tanto tempore contra tot impias pertinaces hæreses polita Ecclesiastica: quem tenuit ordinem hierarchicum: Quid aliud agit Latomus, quam ut suam in rebus sacris ignorantiam prodat, & in pervertendis scripturæ dictis improbitatē? Quis negavit unquam, per Prophetas & doctores Ecclesiā primam de veritate fidei, virtute Sacramentorum institutam esse? Imò hoc est, quod in te reprehendimus Latome, qui affirmare audes, per Patres nescio quos (sic, n. tuos Sophistas appellas) Ecclesiam de vsu Sacramentorum institutā, quod in prima Ecclesia non fecerint Prophetæ & Doctores, de quib. Apostolus loquitur. Sed vetus mos est vaniloquorum Rhetorum, vt ad propositum respondere nescientes, ad eiusmodi clamores sese conuertant, quibus imperitorum aures impleant, ne succubuisse videantur.

Sed quid ego in splendore & maiestate primæ Ecclesiæ labore, cum veritate per iugulum Latomi ipso inuito erumpente, sibi ipsi contradicat. Nec tandem idcirco ullo tempore perfecta non fuit doctrina Ecclesiastica. Si perfecta fuit, quomodo ergo rudis, si rudis, quomodo perfecta? Rude enim & im-

C. ij politum,

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

politum, nec dum (vt tuis verbis vtar) in omnem
partē formatum, perfectum esse nequit. Hic respon-
deas Latome; hanc scio contradictionem , sine refu-
tatione tuæ blasphemiae explicare nequis. Site ipso-
,, teste, quæ posterior ætas rectè & sapienter iudicauit,
,, non ex nouis fundamentis doctrinæ , sed ex eisdem
,, scripturarum traditionumq; fontibus (quibus a=
bundasse primam Ecclesiam affiras) fecit , Ecclesia
prima quomodo rudis esse potuit; aut qua fronte la=
icos posterior ætas Calice priuauit, que eius rei nul=
lum fundamentum in scriptura noui Testamenti aut
Apostolicam traditionem habuit; Hoc inquam est,
quod in Latomo reprehendat Clypeatus , scuto si=
dei aduersus Satanæ , ne dicam lapidicidæ iacula
munitus. Hanc tuam detestor impietatem & bla=
sphemiam, cùm prima Ecclesia purissimam ac perfe=
ctissimam doctrinam habuerit, tu eam ruditatis ac=
cusare audeas, vt tuæ Ecclesiæ sacrilegum errorem de=
dimidiatione Sacramenti stabilias : & garrulitatem
tuam refuto , qua multum blatteras , quid Ecclesia à
Patribus de vsu & dispensatione Sacramentorum
didicerit. De rebus quæ non ad substantiam & es=
sentiam Sacramenti, sed ad eius dignam sumptio=
nem pertinent, Ecclesiam admonuit Paulus : de sub=
stantia autem Cœnæ & eius vero vsu , ut infirmis
parceret, iuxta tuam impietatem ruditer tantum do=
cuit, relinquens scilicet sanctis Patribus expoliēda:
De substantia Cœnæ, quo ritu & qua religione
celebranda

celebranda esset, num aliquid amplius dispositurus erat, quam ab ipso Christo in ultima Cœna dispositum est? Num eius uoluntatem et institutionem maturus erat Latome, qui quod à DOMINO accepérat, religiose Corinthijs tradidit?

Ac vanum est effugium tuum & tuorum omnium, cum conuicti estis, ut ad deprauationem uerborum Apostoli recesseris. Cætera vero cum venero,
 inquit Apostolus, disponam. Utinā, ait Latomus,
 disponuissest, sicut promiserat, minus fortasse hodie
 esset controuersia, remq; alioqui certam satis, certioram tamen vas illud electum, declaratione sua reddidisset. Sed quam uanum hoc sit, res ipsa docet:
 litigatur hodie de integrō Sacramēto, hoc est calice quoq; à Lai cis sumendo: hæc controuersia nulla dispositione paulina ampliore indiget, quam quæ uerbis Christi perspicuè explicata est, bibite ex hoc omnibus, litigatur de transubstantiatione panis & vini in Cœna; si Paulum audire velint, qui panem hunc corporis Christi appellat, dijudicata est controuersia, nec ampliore dispositione indiget. Controuertitur de oblatione Corporis et sanguinis Christi in Cœna: si Christum cum Apostolo suo audiuerimus, veritas patefacta est, qua Corpus & Sanguis Christi in Cœna sunt cibus & potus, quæ in cruce sacrificium erant pro peccatis uiuorum & mortuorum, qui dixit: edite, & bibite, non dixit: offerte pro peccatis uiuorum & mortuorum, pro quis

C in bus

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM:
bus me semel in cruce obtuli, perfecta redemptione
parta.

Litigatur hodie de vera presentia carnis & sanguinis Christi in cœna, Sed controuersia hæc non indiget alia dispositione clariore magisq; perspicua, quam quæ ab ipso Christo facta est, qui pronunciat carnem suam verè cibum esse, & sanguinem suum uerè potum: cibus autem is est, qui nutrit, nutritio ergo ut adsit necesse est: quomodo enim alias nutritur hunc cibum pronunciat æterna ueritas nobis in hoc sacramento presentem esse et exhiberi, huic si quis credere recuset, frustra à Paulo ea de re dispositionem requiret. Quare non est, quod Latomus ex hoc Pauli depravato loco suo errori aut blasphemiae receptaculum quærat. Quam uellet Paulum dispossuisse, ut laici calice priuentur; sed qui potuisset hoc Apostolus in uerbo magistri sui iuratus, non sine grandi sacrilegio committeret;

Vates est Latomus, qui animaduertit, quam friuola sint, quæ hactenus contra veritatem produxit, ideo me hæc tanquam friuola contemnere voluit. Qua in parte Rhetorem agnoscis, causæ suæ dissidentem.

Post Apostolorum tempora uarium fuisse Eucharistiae ritum historiæ testantur. Verum sicut de eo non dubitatur, ita etiam de eodem quæritur, quam bene factum sit. Certum enim est & indubitate, eos peccasse omnes, qui ab institutione Christi recesserunt, quæ nobis ueritatis est certissima regula:

gula: Quòd autem quorundam errorem pro regula assūmit Latomus, quasi nihil referat hoc uel illo ritu celebrari cœnam D O M I N I , id quām absurdum sit, regulis Iuris edictus intelligere potest. Non enim quid siat, sed fieri debeat, uidendum est. Nec à ueritate aberrantium exempla imitanda sunt.

Valde autem sibi blandiuntur noui Pontificiæ impietatis patroni & propugnatores, dum nostros Nestorianæ hæreses insimulant, qui sacramentum panis sine calice sumere recusemus, quasi sanguinem à corpore & humanitatem à diuinitate Christi separeremus. Sed uicissim audi Latome, nos neq; credere neq; fateri in cœna corporis & sanguinis Christi, aut diuinitatis & humanitatis eius separatione mi- sed credimus ipsum Christum totum & indiuisum adesse in cœna, & cum symbolo panis corpore suo, et cum symbolo uini, sanguine suo nos cibare & potare in uitam æternam.

Ab hæresi autem Nestoriana tam sumus alieni, quam tu in hac parte ab ipsa ueritate abes.

Egregium sane Ephesini Concilij decretum de ~~Nestor~~ calice non sumendo, ne blasphemiam Nestorij probare uiderentur. Num uero naturarum in Christi persona unio alia ratione confirmari non potuit, ni- si cœna à Christo instituta mutilaretur? Hoc est una manu ædificare & altera destruere. Sic enim Christi naturarum personalis afferenda unio, ne ei- us uioletur iustitio.

Nulla

folio 1

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Nulla ergo uel huius uel mille Conciliorum ratione habita, si maxime verum esset, de quo tamen tu vehementer dubitare videris, dicimus communio nem sub una specie nouam, Christi institutioni contraria, Apostolis primitiis ecclæ ignorâ esse.

Quod queris Latome, an in tanta varietate communicandi docenda non fuerit Ecclesia? Utique descendam fuisse respondeo, sed non ex somniis humani, verum ex scriptis Apostolicis, quæ ita docent individuam corporis & sanguinis Dominici coniunctionem, ut tamen nulli hominum fas sit, institutionem eius violare. De transmutatione elementorum mutæ sunt sacræ literæ, quæ etiam cum sacramenti integritate pugnat, sacramentum enim terrestri & cœlesti definitur, quorum altero cessante, sacramētum esse nequit. De Cæremonia ipsa, de fide & invocatione, deq[ue] sanctificatione eorundem priusquam accedat communicantes, institutio Christi et Apostoli declaratio perspicuè docet. De tempore celebrationis libertas Christiana regulam tradit à D. Paulo ad Galatas descriptam, quæ Christiani liberi sunt. Eius propter ~~utraq[ue]~~ in Ecclesia constitutio substantiæ sacramenti nihil admittit, sicut hæc de qua tu disputas, mutilatio. Nec temere tales constitutions violandas iudico, sed peccati reos agere, nisi idem passim & semper obseruetur, id demum cum libertate Christiana ex diametro pugnat. Nec peccato caret conscientias constringere, in quib[us] eas liberas voluit DOMINVS.

Lotio

Lotio pedum Sacramentum non est à Christo primùm institutum, sed in populo Iudaico v̄stata, cuius exemplo Christus discipulos ad humilitatem inuitare, non nouum Sacramentum instituere voluit. Quare non est quod nobis eius obseruationem ea necessitate obtrudas, qua communionem sub vñ traç̄ specie à Christo institutam.

Quām friuolū est & puerile, quòd ex institutione Christi profers argumētum: dum me accusas quòd verbum Christi (Bibite ex hoc omnes) vltra fines veritatis extendam. Ais, quòd Apostolos solos, his verbis allocutus sit Christus, id quod tibi lubens cōcesserim, hinc colligis, Ergo ad solos Apostolos pertinet solius calicis v̄sus. Ego vicissim ex te quæro Iureconsulte, cum quibus Christus locutus sit, cum diceret: accipite, edite, hoc est corpus meum: fateberis, ut opinor (libet enim tuis verbis uti) nisi omnino aut non legeris Euangelia, aut ore durissimo fueris, solos Apostolos fuisse. Eadem ergo ratione sequetur, quòd ne panis quidem Cœnæ vlo iure ad laicos pertineat, de quo tamen non litigatis. Vide, quòd te adigat furor & insanía, dum Laicorum communionem sub vna specie probas, eadem in vniuersum eos excludas, quibus ex institutione Christi nihil prorsus debeatur, qui cum solis Apostolis locutus sit & ipsorum successoribus, quos sacrificulos esse arbitraris. Mirum, si in aula tui principis est laicus Christianus, qui nomen tuum non

D detestetur,

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM
detestetur, quibus tua vaniloquentia obstas, quo
minus voluntatem sponsifaciant.

Sed quam tibi in hac parte non constes, videat
Christianus lector. Addis enim; non quod nefas fu-
erit alios etiam, qui tunc aberant, aut hodie etiam sic
nefas, omnes qui Christo militant, de calice bibere,
(nisi, quod inter sacerdotes & laicos iam olim di-
screuit Ecclesiastica authoritas) sed quia Apostolis,
ut futuris sacerdotibus in Ecclesia, calix tanquam
symbolum mortis Dominice, in celebranda memo-
ria eiusdem peculiariter non bibendus tantum, sed
offerendus etiam erat. Hæc ille. Sed audi quæso mi-
Latome: si nefas non est, omnes qui Christo militat,
de calice bibere, cur ab Episcopis vestris prohiben-
tur, aude & sitienter hoc expetentes? Si vero illis in-
tegrum non est, suis concedere subditis, (auditori-
bus dixisse, si Episcoporum munus, quod in do-
cendo consistit, facerent) quomodo fas esse potest?
Aut Episcopos peccare dicas necesse est, qui popu-
lum priuant beneficio à Christo concesso, aut po-
pulum accuses, qui expetat, quod nefas est, laicos
expetere.

Ecclesiasticam authoritatem, quod ait inter sacer-
dotes & laicos discreuisse, quo minus idem liceat
laicos in calice sumendo, quod sacerdotibus: saepe di-
ctum est, eam non posse esse veram Ecclesiam, quæ
expresso Christi verbo & institutioni repugnat.

Hac nota enim insignis est & honorata Ecclesia,
quod

quod subdita sit Christo, eius vocem audiat, eius dicitur obtemperet, eius instituta non violet, sed religiose teneat, obseruet. Non ergo Ecclesia, sed sacrificium ambitio inter ministros Ecclesiae & laicos discrēuit, cūm id nullum Apostolorum fecisse legamus, qui se Christi & laicorum, hoc est Ecclesiae ex omnibus ordinibus collectae, seruos agnoscunt: tantum absunt ab hoc sacrificiorum fastu, quo in DOMINI clerum dominantur.

Eadem arrogantia factum est, vt qui totius Ecclesiae titulus est κληρονόμος, sibi uendicauerint, quasi ab hæreditate & sorte & electione Dei alieni sint reliqui nominis Christiani, quos D. Petrus κληρονόμος appellauit.

Apage ergo cum hac tua Ecclesiastica discretione, quod ad cœnæ DOMINI usum attinet, ignorata Christo, Apostolis & primæ Ecclesiae, non nisi arrogantia sacrificiorum introducta. Alias non ignoramus quod sit discriminis inter Catechumenum, Catechistam, Præpositum & auditorem Ecclesiae, ne quid hic more tuo cauilleris.

Sed plus quam ridiculum est, quod Sacerdotibus calicis usum propter oblationem concedat. Nam, ut demus, Christum oblationem instituisse quoque in cœna, utrum quæso præstat, offerre corpus Christi, an vero eodem nutritur? Nisi insanus sis, dicas ne cessere est, Christum potissimum eam ob causam in cœna adesse, ut nos cibet: si ergo propter oblationem,

Dñ nem,

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

nem , cur non multò magis propter nutrictionem spiritualem , quæ principalis finis est huius , Laicis cum Sacerdotibus , hoc est omnibus Christianis communis?

Si verò negemus , oblationem corporis & sanguinis eius à Christo institutam , idç confirmatum fuerit , quām nihil prorsus habebit ad stabilendam impietatem suam veterator Latomus ? Id cum subolfaceret , prolixam , sed superuacaneam instituit de oblatione disputationē , ad quam breuiter quoç respondebo . Nihil enim affert hic Iurisperitus , quod non millies à nostris refutatum sit .

Principio , quòd confidenter affirmat , non aliud sacrificium in Epistola ad Hebræos contineri , quām quod in Ecclesia Papistica celebretur , quām est temerarius Latomus ? Hoc si verum est , sequitur sacrificio Missæ expiari peccata hominum , placari irā Dei , & promereri vitam æternam , omnibus , hoc opus Missæ sibi applicantibus . Hoc cum neget Latomus , affirmare enim non audet , quomodo idem sacrificium Missæ est , quod crucis , ad Hebræos descriptum cui Paulus hunc honorem tribuit , quòd vna oblatione consumauerit , qui in perpetuum sanctificantur .

Verūm hīc & sibi & alijs imposuit disputator subtilis , quod cum fateamur Christum in cœna adesse , fuisse autē Christum in cruce pro totius mundi peccatis victimam , propterea eundem quoç in cœna

cœna esse sacrificium. Sed ut error ei perspicuè demonstretur, in formam redigamus eius argumentum: Christus verè adest in cœna Dominica. Christus est victima & sacrificium pro peccatis totius mundi. Ergo.

cœna Domini est sacrificium.

Consequentia falsa est. Nam plus est in conclusione quam erat in præmissis. Conclusio enim est: Ergo res, quæ in cruce sacrificium erat, verè adest in cœna. Si hoc modo colligeret Latomus, cum suo pontificio sodalitio, nemo ex nostris eis contradiceret. Docemus enim hanc carnem in cœna distribui, quæ in cruce pro nostris peccatis oblata est.

Verum si finies præsentiae virtusq; consideramus, facile videbimus corpus & sanguinem Christi in cœna Domini sacrificium non esse. In cruce enim adest in hunc finem, ut ibi pro peccatis totius mundi Patri offeratur victima. Quod ergo ad modum & finem spectat, ibi sacrificium est, & dicitur, perfectum & absolutum, quod semel saltem fieri necesse sit. In cœna idem adest, longè alio modo & alio fine, videlicet cum pane & vino, non ut patiatur sed ut agat, hoc est, ut nutriat animas nostras tanquam solidus cibus & potus, in vitam æternam. Ideoq; in cœna non sacrificium appellatur, sed panis, cibus & potus. Hos respectus confundit Latomus, atq; idem esse arbitratur in cœna adesse, et sacrificium que longè differunt.

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Ab initio mundi sub varijs figuris, in cruce autem vere et proprie oblatum esse Christum cum Latomo satemur. Sed eundem in cœna quoq; pro viuis & defunctis offerendum, nulla Scriptura docet. Sacrificia veteris Testamenti, cum fuissent umbra adueniente corpore, religiose, ut D. Augustinus loquitur, sepulta sunt. Sacrificium Christi, cum perfectum esset, non opus erat reiterare. Sed vt in nouo Testamento sub panis & vini specie Deo offeratur, nullum Dei extat mandatum, sicut paulo post dicetur.

Nec propterea negamus Eucharisticum in cœna sacrificium, quo gratiarum actio intelligitur, nostra in memoria passionis Christifacta. Hanc prædicamus, ad eam homines hortamur.

Exemplo Melchizedeck nihil probat, quem docere non potest panem & vinum obtulisse Deo, sed protulisse comitibus Abrahæ, ut ex itinere fessos reficeret, id quod phrasis Hebræa & dictio (holi) manifestè declarat.

Quid habeat hæc oblatio Missæ, quod pios offendere possit, dissimulat se scire Latomus. Sed cum copiose multorum libris explicatum sit, in primis Valentini Vannij, & D. Georgij Maioris de prophanatione coenæ Dominicæ editis, quos Latomus per ocium inspicere poterit, ego hic breuior ero. His addere licebit & Lutheri de abominatione, Missæ priuatæ, & Melchioris Melhoferi scripta, quorum argumenta & rationes si refutauerit Latomus,

de

de mutada sententia nostra nos quoq; cogitabimus.

Caput vero abominationis in Missa est, quod huic opere meritum propitiationis & remissionis peccatorum tribuunt: sicut perspicue in fine Canonis videre est, Verba sunt: placeat tibi sancta trinitas hoc obsequium seruitutis meae, & praesta, ut sacrificium, quod oculis tuæ Maiestatis indignus obtuli, sit tibi placens & acceptabile, mihiq; & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante, propiciabile in vitam æternam. Hic manifeste vides Latome, obsequio seruitutis sacrificuli, eiusq; operi triibui, quod solius obsequij est Domini nostri Iesu Christi.

Deinde horribiliter inuersa est institutio Christi, Cum enim iubet Christus, ut omnes edant, & pro se singuli, hic in Missa Sacrificulus pro omnibus edit solus, reliquis falso persuasis, os Sacrificuli esse totius Ecclesiae os, ut quemadmodum cibus per os in hominis corpus receptus, omnia membra nutriat, ita corpus Christi per os sacrificuli sumptum, omnes circumstantes spectatores reficere. Vide Gabrielem Biel super Canonem Missæ lectione si.

Mirum sane, quomodo tam crassos & palpabiles errores persuadere potuissent populo Sacrificuli, nisi iudicio Dei iusto urgente & efficacia illusionis iuste puniente.

Nulla in Missis priuatis fit corporis & sanguinis Christi dispensatio.

Nulla

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Nulla mortis Christi publica annuntiatio est in Missa.

Horribilis & dolorosa inclusio, circumgestatio, & adoratio panis stabilitur.

Purgatoriū figmentum, quo meritum passionis & mortis Christi negatur, confirmatur.

Pleraque lingua peraguntur vulgo ignota, ut si maximè pia essent omnia, populus nō posset dicere,
1. Cor. 14.

Amen.

Hæ & similes impietates faciunt, ut omnes vere pīj ab hac cœnæ prophanatione toto pectore abhor- reant, quæ omnia tam perspicue à nostris demon- strata sunt, vt mirum sit, quod tam palpabilis impi- tatis patrocinium in tanta luce Euangeliū suscipere audeatis.

Cum memoriam passionis Christi celebrare liceat, at, quærit ex me Latomus, cur non liceat hoc modo per incruentam oblationem, quid prohibeat, etiamsi DOMINVS ipse non mandasset? Respondeo, Math. 15. non meis sed Christi verbis; frustra colunt me, docentes mandata hominum. Ab hominibus hæc in- stituta est ratio non diuinitus mandata; hominibus ergo, non Deo seruitur.

Si vero hæc Latomi valet ratio, eadem Baalitico- rum sacrificiorum impietatem accusabimus à Pro- pheticis damnatam. Certum enim est, Baaliticos sa- cerdotes intentione sua vt vocant non nisi Deum cœli & terræ, & qui populum Israel ex Aegypto e- duxit,

duxit, colere & celebrare voluisse. Quia vero ritus quibus eum colere conabantur, non erant diuinitus præcepti, sed ab hominibus inuenti, non cultus erant, sed horribilis idolatria, et in oculis Dei abominatione, ipsorum sacrificia.

Si uero iuxta uoluntatem instituentis, Christi mortem celebrare cupit Ecclesia, dijudicatione corporis Christi facta, animoq[ue] probè examinato, singuli ad mensam D O M I N I accedant, ac quisq[ue] suo non sacrificuli ore hæc sacrâ dona accipiat, & Christo pro tanto beneficio gratias agat, mortemq[ue] eius, quib[us], potest laudibus celebreret: hæc ratio est celebrandæ dominicæ mortis; eam si mutes, sacrilegus es & idolatra, ut cuncti in oculis splendeat humana constitutio.

Quod addit: An non licet gratijs agendis Deo, ecclesiæ ac sponsæ filij Dei non offerre? non exhibere unicum illum suum? Respondemus, non solum id licere, sed omnibus modis fieri oportere. Atq[ue] hoc nomine sacrificulos uestros accusamus, qui eminus frustulum panis sponsæ Christi spectandum eleuâtes, hoc unico suo, hoc est sponso Christo, eiusq[ue] sacrosancti corporis & sanguinis in cæna instituta communione priuant, quod perinde est, ac si quis esurienti ac sitienti eminus panem & uinum monstraret, cui siti & fame pereundum esset. Quod si in anno semel misellum populum ad vestris sacri communionem admittitis, altera eius parte eos priuan-

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM.

do, præter panē nihil exhibetis, cum corporis Christi nulla sit, nisi iuxta eius institutionem dispensatio. Quia vero nullis instituit, ut solo pane distribuatur corpus suum, ideo & huic suæ cœnæ prophanationi Christum non adesse certum est, nisi iudicem & irascentem speciatorem tanquam cibum autem & potum nullo modo, siquidem nec pascere vult, nec potare suæ voluntatis ultimæ violatores.

Dissimile est, quod affert de sacrificijs veteris Testamenti. Quoties, inquit Latomus, repetita fuerunt vetera illa prioris Testamenti sacrificia? Nobis memoriale hoc eiusdem crucis sacrificium repetere, instaurare, frequentare non licet.

Veteris Testimenti sacrificia non solum licuit, sed diuinitus præceptum est, ut repeterentur. Sed de sacrificio Christi, non extat simile præceptum. Deinde veteris Testimenti sacrificia imperfecta fuerunt, ideoq; repetenda: Christi autem sacrificium perfectum cum fuerit, repeti non oportuit, quod via oblatione consummavit, in æternum sanctificandos.

Quod uero hoc sacrificium memoriale appellat, fraudulenter agit, ut euadendi esset locus, cum Christus præceperit, saepè fieri in passionis ipsius memoriam. Memoriale autem sacrificij quod est cœna, et ipsum sacrificium, duo sunt. Sacramentum cœnæ, est sacrificij Christi memoriale, sicut supra expositum est, nec alio modo à nobis exigitur, aut Deo placet, quam ab ipso institutum est.

In eludendo Epistolæ ad Hebræos loco , quod Christus unà oblatione perfectos fecerit, in perpetuum sanctificandos , uocabuli æquiuocatione ludic sophista: Num idcirco, inquit, nulla est amplius sanctificatio, non petendum, non orandum assiduè ut sanctificemur adhuc ? Aliter sanctificauit nos Christus oblatione sua , & aliter sanctificamur cotidie. Christus in cruce pro nobis immundis & polutis passus est, ut pro sanctis habeantur à patre, quotquot in nomen eius credunt . Factus enim est propitiatio ^{1. Joh. 2.} pro peccatis totius mundi: atq; sanguine noui Testamēti sanctificauit omnes omnium temporum fi- deles. Virtus enim huius oblationis fere ad omnium ætatum et seculorum homines extendit, sicut scrip- tum est, Christus hodie, heri , & in seculum , & ite- ^{Heb. 13.} rum: sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni pec- ^{1. Joh. 1.} cato . Huius operis seu oblationis Christi meritum nobis applicatur in Baptismo, ubi per spiritum sanctum regeneramur, sanctificamur, renouamur; hu- ius spiritus sanctificatoris uitutem precibus in no- bis excitamus, ut qui iusti sumus imputatione meri- ti Christi, magis iustificemur, hoc est per spiritum Christi inhabitantem reliquias peccatorum expur- gando subinde meliores fiamus, quib. sanctificatis nō ^{Ro. 6. 8.} secundum carnē sed secundum spiritum uiuendū est.

Hoc discrimen cum non explicet Latomus, quid scribat, nescit : per oblationem crucis semel factam , ["] ius filiorum Dei adepti sumus , inquit: per eandem ["] in Eucharistia frequentatam consequimur, ut facili- ["]

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM.
us ad hæreditatem perueniamus. Iam saepe dictum
est, à Christo non præceptam oblationem hanc in
cæna: tantum ergo abest, ut per eam facilius hæredi-
tatem partam consequamur, quin ea propter eius
institutionis uiolationem excedamus.

Sed ad ea, quæ sequuntur pergamus. Cum nega-
re non possit: aliud esse, offerri Christum in cruce,
aliud memoriam eius celebrari, ad uetus delirium
confugit, Papistarum consuetum effugium, Chri-
vide Valent. Vannium in Historia Mis- se.
stum incruento modo in cæna offerri. Sed alias ex-
plicatum est, quid S. Patres uocabulo incruentis fa-
cistiū intelligi uoluerint. Hoc ad corpus & sangu-
nem Christi ineptè refert Latomus.

In nouo Testamento non amplius mactantur
pecudes ut Deo offerantur, sed oblationes sunt in-
cruentæ, hoc est munera, quæ ad altare offerebātur à
fidelibus, erant panis, uinum, caseus, butyrum, ue-
stes, pecunia, frumenta, et id genus alia, ad conserua-
tionem ministerij & sustentationem pauperum ne-
cessaria.

Cum vrgetur: An Cæremonia oblationis in cæ-
na sit illa ipsa re s in cruce oblata, negat Latomus.
Sed addit: ipsum Christum uerè & corporaliter, non
fictè aut imaginariè sub specie panis & uini offerri,
iuxta uerbum eius, quo dixit, Hoc est corpus meum.
Idq; ex precepto Christi, quo dixit, Hoc facite in mei
commemorationem. Verum si respondeam, Chri-
stum de pane manducando non offerendo dixisse;
hoc

hoc est corpus meum , quid est, quod contrà afferre possit Latomus : dixit enim: accipite , manducate, postea addit . Hoc est corpus meum , si oblationem instituere uoluisset, uno uerbo hoc dissoluisset certamen, dicendo, scilicet: accipite & offerte. Sed ne gry quidem de offerendo. Deinde præceptum de memoria eius celebranda nihil prorsus loquitur de oblatione, sed manducaione corporis Christi in cæna: id quod Apostoli malo quam meis explicare uerbis . Quotiescumq; enim comedenteris panem hunc, ^{1. cor. ii.} & de poculo hoc biberitis , mortem D O M I N I annunciate . Audis Latome , apostolicam uerborum Christi explicationē, cui facere in Christi com memorationem, est mortem D O M I N I annunciare , non quoties spectauerint auditores panem & calicem , sed quoties de pane comedenterint , & de poculo biberint , Desinas ergo de ludicra uestra actio ne nobis obñcere præceptum Christi, quod necq; Christo necq; Apostolis eius in mentem venit.

Si eadem sunt Latomo : Christum incruentum offerri in Eucharistia , & memoriam eiusdem celebri , agnoscimus tolerabiliter ab eo dictum . Nam & nos fatemur , memoriam & celebrationem mortis Christi esse sacrificium & oblationem, hoc est officium & cultum Deo gratum. Sed hac sua sententia Latomus parum gratiae reportabit à suis , qui maximum faciunt discrimen inter sacrificium ipsum & memoriam sacrificij in Missa.

E iij Quām

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Quam firmiter autem credo in cœna verè ac substantialiter adesse Christi corpus & sanguinem , nec in hac parte mihi quidquam cum Zwingli errore est commune, tam firmiter quoq; credo, Sacrificulos tuos in scenica ista gesticulatione nihil præter frustum panis tractare . Institutioni enim Christi non satisfaciunt, quæ sola Sacramentum facit.

Sed quam argutum & ingeniosum est argumentum, quod ad oblationem Missæ confirmandam ex Grammatica & Iurisprudentia adducit : Principio ex me quærit: An Christus discipulis nudum an uero consecratum dederit panem? Respondeo, nō nudum, sed consecratum. Deinde quærit, quid sit consecrare & sibi ex Grammatica & Iure suo respondet, idem esse quod sacrificare. Argumentum est. Consecrare nihil aliud est, quam sacrificare. Christus panem consecrauit. Ergo Christus corpus suum in cœna sacrificauit, hoc est, obiulit Deo patrisuo. Sic colligit bonus meus Latomus. Sed quod me recipiam ea Prisciano & Bartholo erroris conuictus sum. Doletsanè mihi vehementer, hominem alias doctum, tam turpiter impingere in ea re , quæ æternam animæ salutem spectat. Ac si nullo alio , vel hoc saltēm doceatur argumento , sibi à me nullam factam iniuriari, quo monui , vt sese intra fines vocationis suæ contineat. Ex hac enim seu Grammatica , seu Iuris hypothesi , non quod ipse ineptè colligit, sequitur. Nam si ritè colligere voluisset , hoc argumentum erat,

erat. Consecrare secundum Grammaticos & Iurisperitos est sacram facere, Christus panem cœnæ consecravit. Ergo sacram fecit. Atq; hoc loco nemo est, qui tibi repugnet. Fatemur enim panem & vinum cœnæ consecrari, hoc est, in hunc usum destinari, ut sacratissimæ rei dispensationi seruiat. Vides ergo hic quoq; Latome, plus esse in cōclusione, quam erat in premissis. Deinde pugnat hēc tua explicatio cum sacrificiorum opinione & praxi. Postquam enim panem hunc magica sua incantatione cōsecreuerint, tum demum eundem offerunt. Et ab omnibus idoli huius patronis, hæc tria in Missa cōstituuntur principalia capita, cōsecratio, oblatio, & communicatio. Sed huic Iurisperito, nouo eius impietatis patrono, consecrare & offerre eadem sunt. Mirum ne tibi videatur Latome, si pariter ex Iurisperitorum & Theologorum explodaris schola. Adhæc si cōsecreare est sacrificare, id est, Deo offerre, sequitur tuos Pontifices toties obtulisse Deo ligna, lapides, aquam, sal, &c. quoties hæc consecrauerint.

In consecratione Papistica explicanda, quam sibi mirifice placet Latomus? quam insultat Clypeato? In quas angustias eum nō coniicit? Cum in scripturis expressum nō sit, inquit Latomus, quibus verbis Eucharistia cōsecranda sit, nos tamen (Lutheranos) formulā ab Ecclesia etiam Papistica accepisse. Quid quæso hic rudit, rudis Latomus? Itane Euangelicæ doctrinæ ignarus es, ut nescias in Scripturis expressum esse, quibus verbis Eucharistia sit consecrandæ?

Quia

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Quia uero, quid uera panis & uini in cœna Domini
consecratio sit, prorsus ignorat, magica sacrificiorum
incantatione fascinatus: breuiter de ea
dicemus, si quo modo angustijs liberare queamus
Clypeatum, quibus eum Latomus constrinxit.

Quoniam constat, creaturam non posse facere
sacramentum, certum est, verum Christi corpus &
sanguinem eius in cœna Domini distribui omnibus
Sacramento uentibus, virtute institutionis Christi,
qua semel consecrauit, panem & vinum, ut in cœtu
ecclesiae, dispensationi corporis & sanguinis sui ser-
uiant. Sicut enim uirtus verbi manet: gerinet ter-
ra omnem herbam virentem: ita & uirtus verbi
Christi in ecclesia permanet: accipite, manducate,
hoc est corpus meum; bibite ex hoc omnes: hic est
sanguis meus, &c.

Quoties igitur in ecclesia ad mensam Dominicā
conuenimus, panem & vinum, ab ipso Christo in
hunc usum consecrata, profert in conspectum eccle-
siae pastor vel Episcopus, atque eadem ipse quoque con-
secrat, hoc est, publica commemoratione institutio-
nis Christi ecclesiam admonet, cum cœnam Domini
sint celebraturi: hunc panem et vinum verbo Christi
in longè alium usum consecrata, quam ut corpus
solum reficiant, sed quod facta sint organa diuinitus
instituta, & verbo Christi consecrata, ut dispensa-
tioni rerum cœlestium seruant.

Ideoque verba cœnæ non missitat aut murmurat,
sacri-

sacrificulorum incantatorum more, nec cum pane & vino, quæ auribus carent, sed cum Ecclesia loquitur: eamq; publica verborum institutionis recitatione de distributione cœlestis cibi & potus admonet, quæ Christus, æterna Dei veritas, verbo suo promisit.

Hanc consecrationis formam nō ex Missali aut à sacrificulis tuis accepimus: canonem enim Missæ non (vt tu quidem opinaris) mutilauimus, sed totum cum Missali exusto, ex ecclesiis nostris sustulimus, & ex ipsis scripturis, depropulsimus, quæ manifestè docent, quibus verbis Christus panem & vinum ad dispensationem corporis & sanguinis sui consecrauerit. Eorum commemoratione Ecclesiam consecrationis factæ admonemus: atq; hoc modo etiam consecrare dicuntur Ecclesiae ministri, non quod virtute huius cōmemoracionis aut recitationis Christus cum corpore & sanguine suo cœlitus deuocetur, quod magicum est, corpus enim & sanguis Christi virtute institutionis eius in cœna Dominica distribuuntur: sed quod Ecclesia admonetur, cœleste in Ecclesia celebrari conuiuum, in quo cibus & potus apponantur caro & sanguis Christi, ad quorum distributionem, institutioni Christi obtemperantes, propositum panem & vinum nunc destinauerint.

Habes nunc Latome, quid de vera consecratione panis & vini in cœna Domini sentiant, quæ vni-

F uersa

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM
uersa in Christi institutione consistit : quomodo etiam Ecclesiae ministri dicantur consecrare , quando panem & vinum in Ecclesia in hunc usum commemoratione institutionis Christi destinant. Habet etiam me , qui ab Episcopo rauido oleo non sum consecratus , non nudum , sed consecratum panem , hoc est , cum illo corpus Christi in Ecclesia mea Gœppingensi , auditoribus meis exhibere & distribuere , quemadmodum & cum vino , verum Christi sanguinem . Ac simul vides , quam longe absim à Magica sacrificiorum tuorum incantatione , qui contra institutionem Christi , non cum Ecclesia , quod Christus & Apostoli fecerunt , sed cum pane & vino instituunt colloquium : & virtute huius prolationis sese substantiam panis & vini in corpus & sanguinem Domini conuertere , & nouum Deum fabricare posse , falso persuasum habent.

Audis etiam , tuum esse & vanum commentum , formam consecrationis in Scripturis non esse expressam : eamque nos non aliunde , quam ex vestra Ecclesiae Missalis consueto Canone habere , qui iam pridem una cum sacrificiis apud nostras Ecclesiæ explosus est.

Hæc si cogitasses Latome , minus insolenter , ne dicam impudenter mihi insultasses , quasilupum auribus tenerem . Atque hoc modo etiam vanitas tua refutatur , qua nobis imputas , quod ita indulgeamus nostræ

nostræ licentiæ , vt si quæ vna in parte religionis inexplicabilia nobis incertæ p̄videntur, propterau thoritatem tamen Ecclesiæ amplectamur : in altera parte , ea quæ nobis incommoda aduersa p̄sint , respuamus, iam enim ostensum est, nobis tuæ Ecclesiæ authoritate opus non esse , ad veram consecrationem afferendam , quæ scripturis expressa & in vestro Missali corrupta est. Et firma adhuc atq; inconcussa manet , non nostra sed Spiritus sancti Regula, In rebus fidei & quæ ad cultum Dei pertinent, nihil recipiendum , quod non sit in Scriptura expressum, vel cum ea pugnet.

De agno pascali, quod assert argumentum , quo^{1. Pet. 1.} ties à nostris refutatum est : Non ignoramus , agnus pascalem typum & figuram fuisse Christi veri immaculati agni Dei, sed longè alia ratione , quām hic Latomus vociferatur. Duo enim præcipue de agno pascali commemorantur, alterum, quod immolabatur, alterum, quod carnes eius comedebantur, & de sanguine eius ponebatur supra vtrunc p̄ postem. Hæc si cum Christo conferantur, vanitatem Latomi refutant, & nostram fidem confirmant. Docemus enim nos, pasca nostrum immolatum esse Christum. 1. Cor. 5. qui cruci affixus sanguine suo nos mundauit à peccatis nostris. Atq; in hoc, quod ad rationem sacrificij attinet , agnus pascalis immolatus respondet Christo , in cruce Deo patri tanquam victima pro peccatis totius mundi oblato. Deinde sicut im-

F ij molati

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

molati agni carnes edebantur, & sanguine eius postes illiniebantur, ita in cœna caro Christi manducatur, & sanguis eius bibitur, quo postes animæ & conscientiæ nostræ illiniuntur, ut sint à plaga Dei liberæ. Quid habes, quod hīc reprehendas, Latomus; sed cum nihil afferre possit, fingit me negare; exemplis & figuris veteris Testamenti fidē in nouo adstruit; & more vaniloquorum Rhetorum, quæ absurdā indesequantur, colligit & exaggerat. Cum autem nihil horum mihi aut ulli sano Ecclesie doctori in memet venerit, quid his verborum ampullis opus erat, nisi ut odium mihi conflaret, & malam causam suam hoc verborum lenocinio & confictis calumnijs tegeret?

Eiusdem generis sunt, quæ ex Genesi, Epistola ad Hebreos, & Psalmo de Melchisedeck & Malachia Propheta de oblatione adducit, ad quæ piget respondere, toties à nostris pie & eruditè refutata. Sed ne forte pro more suo cauille tur, me nihil respondere potuisse, paucis eius insultationem reprimam.

Cum subinde Melchizedeck exemplum ingeminent, ad probandam Christi in cœna oblationem, nec tamen de ritu quidquam docere possint, cur ad Hebreos de eo nihil dicatur, audiamus Latomi conjecturam. Nisi fortasse (inquit) idcirco omissum fuerit, quod (ut seruator ipse alicubi dixit) vinum nō uum non videbatur, veteribus vtribus committens, dum esse. Egregia sane coniectura, tali Theologo non

non indigna. Quid opus erat quæso, de ritu docere sacrificiorum, qui qualis fuerit apud Patriarchas in veteri Testamento, satis constat; sed haud dubiè Latomus lectoris animum suspendere conatur, ut cogitet ipsum Melchizedeck simile quiddam inter offerendum fecisse, quod pontificiæ Missæ quadret.

Deinde ex duobus falsis, quæ tanquam concessâ assumit Latomus, aliquid ueri sese probaturum cōfedit, videlicet, quòd Christus seipsum sub speciebus panis & vini obtulerit; alterum, quòd Melchizedeck panem & vinum obtulerit. Sed neutrum esse uerum, suprà demonstratum est. Quid ergo sese probaturum sperat Latomus, quòd sacerdotium Melchizedeck magis conueniat ei, quod in cœna somniat, quām quod in cruce peractum est? Nulla in Genesi eo loco sacrificij, ne dicam ritus sacrificij sit mentio, sed docet Moyses, quomodo Melchizedeck ad reficiendos comites Abrahæ protulerit panem & vinum, & obtulerit non Deo sed ex itinere defatigatis hospitibus. Quare non est quòd h̄c vociferaris: Cur (inquit) tu nigeris hoc in loco? egregium scilicet argumētum? quo me ita constriētum habes, ut mihi sit necesse, si euadere uelim. Ex arena composita sunt plæraq; tua fculnea argumēta, nec magno opus est labore, ut ea refutentur, modo quis non omnino ignarus sit sophistices & oratorij fuci, quem si quis tuo scripto detraxerit, plærasque uacuas habebit paginas.

F ij Sed

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Sed videamus quoq; dilemma , quo clypeatum petit cornuto, quidquid respondeat, vulnus accipi= at, & in casses sophistæ incidat.

Cum Psaltes dicat: Tu es sacerdos in æternum, se= cundum ordinem Melchizedeck: sequitur sacerdos= tium Christi fore æternum , hoc cum non inuiti cō= cedamus, pergit colligere Iurisperitus : aut falsus est uates, aut necesse est, ut concedas in cœna sacrificium hoc factum: priorem disiunctiuæ probat, quia in cru= ce factum esse nequeat, nec alibi factum demonstre= tur: sequitur, si uates uerum dixit , hoc eius æternum sacerdotium in cœna sub specie panis & uini nec a= libi esse. Vides autē Christiane lector, bonum hunc Iurisperitum adhuc uerum Christi sacerdotium ig= norare , de quo Apostolicæ sonant literæ . Christus manet sacerdos in æternum , ideoq; & eius sacerdo= tium in æternum permanet , cuius partem impleuit in terris sui ipsius oblatione , pro peccatis totius mundi perfecta satisfactione et redemptione parta, Heb. 5. doctrina , precibus & supplicationibus suis , apud Deum patrem in diebus carnis suæ , & nunc in cœ= Ro. 8. lum sublatuſ, et ad dexteram Dei collocatus pro no= bis intercedit, sicut Apostolus docet, & Ioannes in Canonica sua: Si quis peccauerit, aduocatum habe= mus apud Deum Iesum Christum iustum , hoc in= quam Christi sacerdotium æternum est, cum , si quæ in cœna esset oblatio , suum finem quandoq; sit habi= tura . Vide mi Latome , quomodo Clypeatum in ~~terris~~ tua constrictum habeas: Denuo te moneo, ut intra

intrā fines uocationis tuæ te contineas, his enim in= eptijs te ipsum omnibus ridendum propinas, cuius prudentiam in professione tua alias, ni fallor, uene= rantur.

Malachiæ locum D. Hieronimus de laudibus & gratiarum actione interpretatur, similiter & Irenæus; idem cum nos facimus, clarissimorum luminum Ecclesiae contemptores audimus.

Hanc nō nostram solum, sed S. quoq; patrum pi= am interpretationem, quomodo refutare conetur Latomus, uideamus. Propheta (inquit) loquitur de mola pura. Gratiarum actio non potest propriè dici mola pura. Ergo Propheta non loquitur de gratia= rum actione. Sed facilis est responsio, Prophetas uo= cabulis suorum sacrificiorum res noui testamenti frequenter exprimere solere. Sicut enim hoc loco mola pura pro precibus, ita alicubi incensi nomine orationes exprimuntur, quod inter sacrificia non postremum erat.

Deinde nullo modo hanc sententiam ad gratiarum actionem referri posse, larvato quodam dilemmate ostendere conatur. Aut nullæ tum fuerunt mundæ preces, Aut (quod est credibilius) fuerunt mun= dæ in Synagoga. Virum sit, præsenti loco non conueniunt. Si enim immundæ fuerunt, non con= uenire potest eis appellatio mundæ oblationis. Si uero mundæ fuerunt, quid noui futurum prædi= cit Propheta & hic denuo me uinctum habet La= tomus, sic scilicet persuasus, in suo musæo sedens.

Sed

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Sed ad hoc quoq; facilis & perspicua est responsio.

Mala. 1. Propheta Malachias eo loco populi Iudaici impie-
tatem accusat, & de illorum abiectione ac gentium
vocatione concionatur, quod ex textu manifestum
est, nec Latomus negare audet. Quod factum cum
fuerit, aliquid noui accidisse, certum est. Nouum e=

nim erat, DOMINVM Deum Israel non in u-

no tantum terræ angulo, sed in omnibus partibus

Aet. 15. mundi agnoscere et celebrari. Quod sane adeo nouum
fuit in oculis Iudeorum quorundam, qui doctrinam
Christi sequebantur, ut ægrè ad communionem sa-
crorum gentes admitterent, nisi circumcidenserentur.

Eat nunc Latomus, & de suo dilemmate glorie-
rietur amplius, cuius uno cornu fracto, alterum
quoq; debilitatum est, et si hoc vno fortiter pugnare
conetur, Nam nostro nos gladio se iugulaturum
sperat, qui in omnibus scriptis contendamus homi-
nem totum corruptum, totum depravatum esse, &
quidem ita depravatum, vt ne renatus quidem per
Dei spiritum, mutet tamen naturam, sed mentem
voluntatemq; auersam à Deo, vitijscq; horribilibus
ignorantiæ atq; odij Dei, infectam retineat, vscq; a=
deo, vt ne si velit quidem (quanquam ne velle qui=
dem possit) sed si velit tamen, coneturq; etiam assi=
stente Dei spiritu, alius tamen esse, corq; aliud, ani=
mumq; alium, quam fert natura, habere non possit.

Hactenus moderatè vanus fuit Latomus, nunc
etiam impudenter mentiri & calumniari incipit.

Docent

Docent sanè nostri , naturam hominis uitio paren-
tum primorum ita corruptam & depravatam , ut
nec assurgere , nec preparare nec applicare se possit
ad gratiam . Postquam uero gratia donantur & pre-
ueniuntur homines , per inhabitatem spiritum Dei ,
docent , naturam quidem non prouersus exui , sed de
die in diem ueterem hominem exui cum factis suis , col.3.
& indui nouum , qui renouetur ad agnitionem &
imaginem eius , qui condidit illum in iusticia & san- Eph.4.
ctitate ueritatis . Mendacium ergo est putidum , &
uenenata calumnia , quod criminatur Latomus , no-
strōs docere : non mutari naturā nostrā , semperq;
homines mentem uoluntatemq; auersam à Deo re-
tinere . Estq; fallacia Latomo non ignota , à dicto se-
cundum quid , ad dictum simpliciter .

Eiusdem generis mendacium est , quod paulo an-
te in eadem pagina posuit : Nobis omnes fideles ,
quantumuis iustos & pios , peccatores tamen esse , &
quidem capitales , nullo discrimine , nulla peccandi
aut delinquendi inæqualitate concessa . Qua fron-
te , quæso , euomere audes , quæ certo certius persua-
sum habes , in nos impudenter conficta esse ? Nullum
ne discrimin , nullam peccandi , aut delinquendi in-
æqualitatem concedimus ; Num Stoicorum παροδοῖς
amplexi tibi uidemur ; πατρά ἀγαθήμερος ? In hoc gene-
re , ut tibi temperes , necesse erit , si famam tuam ue-
lis integrum , Nam hoc modo audis uanus & men-
dax .

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Sed miraris, quomodo in nobis cor mundum esse possit, qui doceamus, nullam in nobis existere, sed aduenire tantummodo extrinsecus, & quæ non sit, sed imputetur tantum iusticiam.

De imputatiua, quod nostri docent iusticia, non inhaerete illa uestra, quæ nouis qualitatib. definitur, sed fide in Christum, non nostrum est commentum, sed à Christo, Prophetis & Apostolis traditum. Cre-
didit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam, & iterum: porro ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua
ad iusticiam, & iterum: perfectio legis Christus, ad iustificationem omni credenti; & iterum: arbitramur fide iustificari hominem abscq; operibus legis.
Hæc scripturæ non mea sunt uerba Latome, qui-
bus imputatiua iusticia explicatur, quæ est & dici-
tur imputatiua, fides scilicet in Christum, seu Chri-
stus per fidem. Meritum enim obedientiæ Christi,
quod est perfecta satisfactio legis & peccatorum re-
missio, fide applicatur credentibus, ut propter Chri-
stum mediatorem, non propter suas inherentes uir-
tutes seu qualitates sint Deo grati & accepti. Cum
autem per eandem fidem Spiritus sanctus inhabitet
credentes, per fidem quoq; eorum corda purificat,
sicut Actorum x v. legimus. Duplex igitur cordi-
um nostrorum purificatio, altera inhaerens, quæ fit
per Spiritum Dei inhabitantem, sed non tam per-
fecta.

fecta, ut iudicio Dei opponi possit: prauum enim est cor hominis & inperscrutabile. &, quis diceret potest, mundum est cor meum. Delicta quis intelligit? Si iniquitates obseruaueris DOMINE. DOMINE quis sustinebit? Non iustificatur coram te omnis viuens: Altera, qua cordis innata impuritas credenti propter Christum non imputatur, quæ non dominatur quidem, sed est in cordibus etiam renatorum, Beatus inquit Psalmus cui non imputavit DOMINVS peccatum. Ita etiam purus, cui Deus non imputauit impuritatem suam. Si igitur hæc imputata iustitia nihil, quam nostrum commentum esse dicitis; fides nihil est, Christus nihil est, obedientiæ eius meritum nihil est, eius promissiones nihil sunt, Prophetarum & Apostolorum doctrina vana est, quæ de hac imputata iustitia loquitur, qua donati rigorem iustitiæ Dei ferre possumus, & cum fidutia ad thronum gratiæ accedere audemus. Catholicus ergo & Orthodoxus haberi si volueris Latome, huic iustitiæ non detrahas, in qua omnis consolatio, & vniuersa salutis nostræ ratio consistit.

Et hactenus de scripturis abs te productis, quam nihil ad stabiliendum errorem tuum faciant, me perspicue & breuiter demonstrasse confido.

Nunc quid ex Patribus afferat, videamus, ubi
G ij non

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

non parum vanus est & in nos contumeliosus. Nā quod scribit: Nos illos non nisi arbitratu nostro recipere: Eorum testimonij velare non probare nostra: Eaçq; nec candidè nec bona fide citare, tria putida sunt mēdacia. Quām reuerenter enim de illis sentiamus, tota nouit Christi Ecclesia: quibus tantum tribuimus authoritatis, quantum merentur, & quantum ipsi à nobis exigunt. Nolo authoritatem meam

Aug. Epistola 14 sequaris, scribit Augustinus ad Paulin: vt ideo pu-

112, tes tibi aliiquid necesse esse credere, quoniam à me dicitur: sed aut scripturis Canonicis credas, si quid nondum, quām verum sit, vides, aut interius demōstranti veritati in hoc plane videas, & alio loco. E-

*Contra Cre-
fcon. Gram.
lib. 2. cap. 32.* *go huius Epistolæ authoritate non teneor, quia lite-*

ras Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eius ex Canonicis considero, & quod in eis diuinarum scripturarum authoritati congruit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius respuo. Eadem & ad Hieronymum scripsit Augustinus, & tales suorum librorum lectores esse vult, quam sese in aliorum scriptis legendis præbeat. Cum ergo idem nos quoç faciamus, qua fronte scribit Latomus, nos Patrum dicta pro arbitratu nostro accipere vel respuere?

Nec aliqua est doctrinæ nostræ turpitudo, vt ad eam velandam Patrum indigeamus testimonij, quin eam pietatem maioribus nostris debere nos agnoscimus, vt si qua in parte lapsi essent, nos, quātum

tum salua veritate fieri potest, illorum turpitudinem
tegamus: cum uos in hoc laboreatis, vt eorum pu-
denda omnibus spectanda præbeatis. Patrum dicta
cum pro nobis afferimus, eodem fit consilio, quo D.
Augustinum fecisse legimus, qui scribit: Hæc non
ideo commemoraui, quod disputatorum quorum= August. de
peccat. merita
tis et re. cone-
tra Pelag.
libet sententijs, tanquam Canonica authoritate nita= lib. 3. cap. 7.
muri: sed vt adpareat, ab initio usq; ad præsens tem-
pus, quo ista nouitas orta est, hoc de originali pec-
cato apud Ecclesiæ fidem, tanta constantia custodi-
tum, vt ab eis, qui dominica tractarent eloquia, ma-
gis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda,
quam id, tanquam falsum refutari, ab aliquo tenta-
retur.

Qua fide quisq; agat, & authorum dicta produ-
cat, quisq; sibi conscientius est. Fieri quidem potest, vt
interdum non Patrum solum, sed & Scripturæ sa-
cræ dicta impertinenter proferantur. Studio autem
à nostris deprauari, sicut crimen est atrocissimum, ita
impudenter à Latomo confictum, nostris imputa-
tur.

Profert trita quædam Ecclesiasticorum Scripto-
rum testimonia, vt probaret, sanctos Patres corpus
& sanguinem Christi in cœna quoq; appellasse sa-
crificium & oblationem: sed quid opus erat: quis ni-
si insanus negaret: Nec hoc quæritur, aut inter nos
controueritur. Sed illud, an corpus & sanguis
Christi tale sint sacrificium in cœna, quod offeratur

G iij pro

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

pro viuis & pro mortuis ad redemptionem animarum , ex cruciatu purgatoriū & à reatu peccatorum :

Non ergo inanem ~~λογικήν~~ de vocabulo sacrificij et oblationis instituimus, modo eius explicatio cum fide non pugnet, sed sit fidei analoga. Sic offerri corpus & sanguinem Christi, est publice cōsecrare, qua in oculis maiestatis eius, Ecclesiae offeruntur diuina munera: & eorum oblatio, est publica benedictio.

Græco Canonī cum diffidat, & fateri cogatur per ~~τὴν λογικὴν καὶ καίματορ λατρείαν~~, preces & laudes fidelium intelligi, vanam collectionem mendaciter mihi imputat, in eaç̄ refellenda anxie laborat, quæ mihi nunç̄ in mentem venit. Tacite me sic colligere dicis; Patres alicubi dicunt & Canon græcus ostendit, preces ac laudes offerri in hoc sacrificio, Ergo corpus et sanguis Christi non offeruntur.

Non sum adeo stupidus, ut ignorem hanc collectionem esse nullam, nec vſc̄z à me usurpata legitur: tacite, inquis, sic colligis, Clypeate: sed quis tu es veterator laruate, qui me tacente, quid animo colligam videas? Num tibi usurpas, quod solius diuinæ est maiestatis : qui ~~καρδιῶσθε~~ est, probans renes solus. Tuum ergo figmentum non meam collectionē conuallis & refutas. Mea aliorumq; sententia est, S. Patres plerumq; vocabulo oblationis preces ac laudes intelligere, Nec propter hanc causam Missam sacrificium esse negamus solum, sed quia Sacramentum non sacrificium instituit Christus, Patres sacrificij nomine

nomine longè aliter usos esse, quam Papistæ solent, demonstramus.

Si libellus de Ecclesiastica hierarchia Dionysij est Areopagitæ à D. Paulo conuersi, multorum scriptorum vanitas corripetur, qui Pontificibus longo temporis interuallo multarum Cæremoniarum inuentionem adscribunt, quæ Dionysij tempore in usu erant.

Quod si maximè eius esset, nullam tamen oblationis mentionem facit author, quam procul dubio non omisisset, si ab Apostolis tradita & usu recepta fuisset. Sacræ benedictionis meminerat, & ostensionis diuinorum munerum ac communicationis Episcopi & circumstantium. Oblationis ne quidem unico verbo meminit.

Falsum ergo est, quod scribit Latomus à Dioniso annotatum esse, Catechumenos à conspectu eorum, quæ gerantur circa salutaris hostiæ oblationem, submoueri. Non enim spectatores solum, sed coniuas habuit in Synaxi, qui hæc diuina munera spectare merebantur, sic enim loquitur: & dispensationem corporis & sanguinis Christi factam meminit, de oblatione autem totus mutus est.

Odiosam deinceps sanctorum Patrum et nostrorum Ecclesiæ doctorum collationem instituens, more Rhetorum agit. Agnoscunt & doctores nostris suas infirmitates, ijs per gratiam Spiritus sancti repugnant.

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM.

repugnant & honeste uiuunt. Vestrorum uirtutes si describendæ essent, quām longè à maiorum sanctitate & pietate ac puritate recesserint, res ipsa loquitur. Nec opus esset quidquam configere, cum sacrificiorum & Monachorum turpitudo & effrenis libido in omnium incurvant oculos.

De dissensionibus nostrorum, non est quod sis sollicitus Latome; sacerdæ concordiae uiam & rationem monstrabit D O M I N V S, nec desunt pñ homines, qui non desinunt ardentibus uotis petere à D O M I N O, ut docentium animos ad amorem pacis flectat. Non esse autem tantas, sicut colluuiis sacrificiorum clamitat, libello aduersus incerti authoris tabulam edito, luce meridiana clarius demonstrauit.

Sed qualescunq; sint, nihilominus tamen Pontifex Romanus cum suis a seclis manet Antichristus, uestracq; doctrina impia, Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ contraria. Fuerunt in Ecclesia, sunt & erunt semper dissensiones, cui pacem & unitatem inuidet malignus spiritus, quibus modum definiuit D O M I N V S, cuius iudicium patienter expectandum est. Nec propterea tantopere, quemadmodum tu uociferaris, turbatq; sunt Ecclesiae, si unus atq; alter item instituat, personæ magis quām doctrinæ odio excitatus, ubi animis compositis doctrinæ in multis partibus facilis & non dissimilis esset explicatio.

Grl. 2. Dissensit Paulus à Petro, & idem à Barnaba, nec ut opinor

opinor , sine Ecclesiæ offensione , quando colum= Act. 15:1
 nas eius de non paruis , sed magnis præcipuisç re= LUC. 22.
 bus contendere viderunt . Et cum hora mortis Chri=
 sti instaret , Apostoli omnes cupiditate vanæ glorie ,
 ambitione , inuidia & odio in se inuicem inflamma= ti , de primatu contendunt ; ac separatione facta , vnuus Christum prodit , alius abnegat , auffugient omnes , & fidem de resurrectione Christi partim amittunt . Sunt sane hæ infirmitates , quibus humani generis hostis electos exercuit . Verum propter has imbecil= tates Pharisæorum & Scribarum religio & doctri= na non fuit iustificata , quæ fuit , est & erit impia , sicut & Papistarum , æternæ veritati repugnans .

Ex his , quæ dicta sunt , lectorem perspicere spero . Cum in memoria mortis Christi celebranda Eccle= siæ ministrorum partes sint duæ , oblata munera an= nunciatione mortis Domini , quæ in verborum cœnæ recitatione fit , benedicere , & corpus ac sanguinem Christi distribuere sumentibus : quām nul= lum discriminem admittendum sit inter ministros & Ecclesiam , vt ambas Sacramenti partes percipient ministri , qui sunt Ecclesiæ serui , Domina , hoc est , e= lecti & fideles , quibus ministrant , vna eius parte cō= tenti sint , quæ ipsis nullo iure , si Latomo credimus , cum Christus cum Apostolis modo locutus sit , de= beatur .

Sed in hoc gratias agant Latomo laici , quibus be= neficio huius Iureconsulti delectus conceditur , &

H varietas ,

varietas, qua non parum homines delectantur. Qui enim hactenus sub panis specie solum percipere poterant cœlestem cibum , calice exclusi , nō nunc per Latomum licebit , sub vini specie ex calice rotum haurire Christum , donec pertesi , ad panem redeant: & hac vicissitudine varietateq; libere vtantur , cum nihil referat hoc vel illo modo accipientur , Interea fortassis deliberabit & decernet Ecclesia , hoc est, Pontifex cum suis membris de institutione Christi, an in posterum seruanda sit, nec ne.

Non ignoramus , Christum indiuisam in cœna distribui alimoniam,cibum ac potum animæ. Eius autem dispensationem fieri in cœna mutilatā, si rum= patur Latomus , demonstrare nunquam poterit: & sæpè ad hoc Papistarum effugium responsum est. Sciunt fideles sibi nullam sperandam gratiam , vbi Christus offenditur. Offenditur autem , cum insti=tutio eius violatur & mutilatur, ad quam D.Cypri=anus reuocat ab ea digressos. Quapropter hanc mu=tilatam cœnam fugiunt , & cœtui sese iungunt , qui hanc Christi institutionem religiosè tenet, quæ ma= uult cum prima esse rudis iuxta Latomum , quām cum postrema expolita & formata , quæ ab insti=tutione Christi sacrilega temeritate & audacia rece= sit.

Si quam de Missa aduersus me instituisti di= sputationem , à proposito nostro est aliena , sicut ipse

ipse fateris , cur eam suscepisti ? Nisi enim librum augere voluisses , vt sese præter verborum inane lenocinium , aliqua specie venditet , te paucis expeditre potuisses . Tolle conuicia & calumnias , detrahas verborum ornatum , coloresq; Rhetoricos , vix restabit pagina , qua saltem sententiam tuam exprimas . Sed his omnibus consutis , nunc Catholice Ecclesiæ strenui propugnatoris aduersus Jacobum Andreæ pastorem Gœppingensem extat Bartholomæi Latomi lureconsulti liber , nec dubium , quin preter laudem & adprobationem suorum , etiam præclarum præmium sit apud suos consecuturus .

Abusus , prauas consuetudines , sordidas & questuarias Sacrificulorum operationes , aduersus nos pugnantes , abominari sese vociferantur . Sed quotus quisq; est inter ipsos , qui de ijs emendandis & corrigendis cogitet ? Ac tantum abest , ut hoc in animum induixerint vnquam , quin statim no uatores & hæretici audiunt , qui prauas consuetudines saltem taxant & reprehendunt : ac crudeliter eos persequantur , qui ad eas corrigendas animum adiecerunt .

Nos autem non prauas consuetudines abolere , sed veterem oppugnare Ecclesiam , & omnia mutare , quam vanum sit , & quam inuidiose à Latomo

H̄ ñ confictum

confictum, totus Christianus iudicet orbis. Quod quæso aliud inter me & te certamen est Latome, quam quod ego honorem veteris Ecclesiæ vindicare volui: quam tu rudem appellare non es veritus, ut prauam consuetudinem stabilias Ecclesiæ tuæ, qua contra voluntatem & institutionem Christi, doctrinamq; Apostolorum & primæ Ecclesiæ proxim, sanctorumq; Patrum iudicia, laicos altera parte Sacramenti sacrilegè priuastis, & gementes flentes & suspirantes, ad eius communionem admittere recusatis, quin hoc nomine suspectis, capitis poena constituta est, quam luunt constanter, ne cum hac mere trice Babylonica sese polluant, sanguine Christi purgati, & spiritu eius sanctificati.

Quid in reformatione Ecclesiæ, doctrinæ ac cæ remoniarum, præter abusus & prauas constitutio nes reprehenderunt nostri aut aboleuerunt? Num doctrinam Christi de vera pœnitentia & de peccatorum remissione, sanguine Christi parta, abiecerunt? Baptismum cum cœna Dominica aboleuerunt? Catalogum autē Idolomaniarum, prauarum & impiarum consuetudinum, quæ paulatim in Ecclesiam Dei negligentia Episcoporum irrepserunt, hīc cōmemorare possem, nisi omnibus nota essent, non semel ab Imperij Ordinibus, in primis Norimbergæ in Comitijs Roma, Pontificis Legato, anno 1523. proposita. Scio autem, quod & tu spem omnē abiceris de ihs corrigendis, sicut in hoc ex uestra parte

parte non male colligis. Nostri, quæ partes sint Episcoporum in reformatis Ecclesijs, non ignorat, ue-
rum illis cessantibus, nō adulantur aut dissimulant,
& suum officium faciunt, vt filio Dei suum pium
studium comprobent.

Si propterea periclitandum fuerit, sciunt filium
Dei una cum ipsis periclitari, qui cum ipsis est in tri-
bulatione, ex qua iuxta promissionem suam factam,
in se sperantes liberat, eo modo, quo ipsis uidebitur.
Nostrum est professionem ueritatis propter pericu-
la non abiçere, cum perseverantibus, centuplum, &
post hanc uitam, æternam promiserit æterna ueri-
tas, quam breui ad iudicium uenturam speramus,
quo controuersia hæc, ex parte nostra, ut minimè
dubitamus, fœliciter finietur, vbi tibi tuoq; simili-
bus Ecclesiæ papisticæ aduocatis æternum silentium
imponetur. D O M I N V S Deus ac pater D O-
M I N I nostri Iesu Christi laqueisathanæ te liberet,
& in pristinam libertatem restituat, qua conscienti-
am non graues, & simplicium mentes non implices
& inuoluas.

De opere operato & applicatione Missæ, cùm
suos ex omni parte absoluere nequit, priuatorum
hominum esse errata, toti Ecclesiæ non imputanda,
dicit. Sed si hoc modo satis est excusasse abusus & er-
rores, cur eadem ratione nobis quoq; elabi non li-
cet? Dissensiones esse inter nostros, nunquam dissi-
mulauimus. Si autem dixerimus hæc certamina ad
H tij pau-

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM.

paucos pertinere, et magna ex parte priuatorum esse hominum, uos uniuersum cætum, qui doctrinā Euangeliū amplexus est, ea premitis. Verum lōgē alter se habet; Certum est pium & constātem esse eorum cōsensum, qui secessione à uestra idolatria facta, in cōfessione ueræ doctrinæ se se cōiunixerunt. Si qui litigant, ad personas ipsorum magna ex parte pertinet, dum utrīc̄b accusantur criminum, quorum rei esse nolunt. Quid hæc ad simplicē populum? quem etiam parum ædificant, si maxime intelligerent, quare inter partes litigaretur; sine iactura æterne salutis eiusmodi ignorare possunt, si modō simplicem ac puram fidem sequantur. Si qui egerunt languidius, si alicubi apostasia facta uel collusio, si qui impertinēter loquuntur aut minus cōmode locuti sunt, pro se respondeant Deo, manifestam uero doctrinæ corrūptelam factam nullus piorum suo calculo confirabit. Atc̄b hoc modo uerus consensus, uera pax est in Ecclesijs nostris, etiam si de quibusdā rebus disputatum est, & adhuc disputatur. Nec dubito, priuatorū offendis & disputationibus lepositis, si synodus fieret, Saxoniarum & superioris Germaniæ Ecclesiarum, explicationem dogmatum sine ulla controuersia factam iri, cum nunc à paucis hostiliter pugnetur.

Definas ergo posthac mihi dissensiones nostrorū obijcere, non enim meis sed tuis uerbis tibi tuisc̄b respōdebo, priuatorum hęc esse, et quidem paucorum, non totius Ecclesię nostrę, cui iniuste imputantur.

Nos uero non priuatorum hominum sacrificulorum

Iorum scilicet et Monachorum uestrorum errata re-
prehendimus, de quibus Iliada scribere possent no-
stri, sed Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, sacri-
ficularum et Monachorum in erroribus consensum
accusamus, qui prauas consuetudines, abusus, et ido-
la crudeliter tuentur, quæ omnia, pro sanctis Eccle-
siæ & S. Patrum constitutionibus ne dicam Apo-
stolicis & ipsius Spiritus sancti traditionibus Ec-
clesiæ obtrudunt, eius generis sunt: nundinationes
Missarum, mercatus indulgentiarum: concursus
ad statuas mortuorum: panis cœnæ scenica circumge-
statio: idolatrica adoratio: cœnæ Domini in ludicrū
spectaculum facta peruersio: eiusdem mutilatio: con-
scientiarum carnificina: doctrina pœnitentiæ & iusti-
ficationis corrupta, et depravata: cōiugij sacerdotum
et ciborum prohibitio: politici ordinis obscuratio, et
similia multa, in quib. idolatriæ & errorum nō accusa-
tus solum, sed his 40. annis conuictus est totus hic
uester sacer ordo. Hic scio nō ad priuatorū errata re-
currere potes, sed in impietate ita cōiunctos cōfitearis
necessè est, ut ignorare nequeas, ipsos nihil præter mi-
nas & cædes spirare aduersus eos, qui ut animas suas
liberarent, hanc uestrā idolatriam deseruerunt, sicut
scriptum est: fugite Idola, & iterum: Blasphemia in 1. Joh. 5.
Spiritum non remittetur.

Cum igitur fateri cogatur, quod tamen Rheto-
rum more per concessionem facit, per ineptiam aut
per inscitiam, vel persordes etiam ministrorum, uul-
gus aliquid admisisse, quod receptum populi teme-
ritate

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

ritate inoleuerit in Ecclesijs plæriscq; negligentius
administratis, nec tamen publico Ecclesiæ consensui
imputandum uelit : Quando quæso mi Latome
mutabitur ab hjs, qui in re minima errasse uideri no-
lunt ? nec in animum induxerunt unquam, ut ea
mutarent : sed cum interdum eiusmodi errata faten-
tur, nihil aliud faciunt, quam ut inani spe lactando
simplices tempus extrahant, donec nobis oppressis
libere in Ecclesia pro arbitrio et uoluntate dominen-
tur.

Pag. 48.

,, Frustra ergo clamas: Tollantur abusus, si qui usq;
,, sunt in Ecclesia ; reformatur sacramentorum admi-
,, nistratio, restituatur disciplina, si quis error, si quæ
,, supersticio irrepigit in usum Ecclesiæ, id quod pro-
,, cliue fuit semper, necq; nunc nouum aut insolens ui-
,, deri debet, tollatur de medio, repurgetur doctrina
,, Ecclesiastica. Interim tamen populus contra consci-
entiam ad obseruationem horum abusuum, errorum
& superstitionum adigitur, contra quæ, ne quidem
mutire audent miselli subditi, quorum ceruicibus
crudeles & sanguinarij hæreticæ prauitatis inquisi-
tores incumbunt. Cogita quæso doctissime mi
Latome, quantum innocentis sanguinis fusi in te
quocq; redundet, qui eius impietatis agis in Ecclesia
aduocatum, qui tua oratione horum hominum cru-
delitatem confirmas, & ipsorum animos fucata ora-
tione odium ueræ doctrinæ inflamas. An putas
quæso, quod existimem, te usq; adeo sacrarum lite-
rarum

rarum rudem & ignarum, vt non intelligas, quæ
 sint subditorum partes, si Episcopi suum officium in
 Ecclesia facere, & Ecclesiasticam doctrinam repurga-
 re, atq; abusus tollere recusent: legisti, vt opinor ad-
 monitionem Christi: omitte eos, cæci sunt & duces Matth. 15.
 cæcorum, & regulam generalem ab eodem tradi- Mar. 6.
 tam: Si cæcus cæco dux est, nonne ambo in foueam
 cadunt: Hac admonitione tenentur p̄j doctrinam
 corruptam, idolatriam, superstitiones & abusus fu-
 gere, &, vt Cypriani verbis utar, à sacrilego sacer-
 dote sese separare, & euentum committere D O-
 M I N O, patienterq; ferre, quæ a Domino impo-
 sita fuerit, crucem. Magistratus vero officium est i- Deut. 17.
 dola tollere, & pro sua authoritate exemplo piorum
 Regum & Principum operam dare, vt repurgata
 doctrina Ecclesiæ, sublatis abusibus & superstitioni-
 bus populus p̄ie & recte doceatur. Quod nisi fece-
 rit, etiam sacrificulis reluctantibus, grauissimam ra-
 tionem redditurus est Deo Magistratus, qui saluti
 æternæ suorum subditorum sua socordia & ignavia
 defuerit.

Nec est, sicut tu cauillaris, vt nostra in Ecclesiastū in
 stauratione sequātur sōnia p̄j principes. Ad normā
 & regulam Apostolicæ ac Propheticæ doctrinę re-
 purgetur, à qua si nostram doctrinam dissentire cō-
 pertum fuerit, nullum obsequium petimus, modo
 causam cognoscant: quod quantum quidem in ipsis
 est, nunquam admittunt Sacrificuli, quorum ^{ægionae}
I est

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Vide
Hosium.

, est indubitatū, Magistratui per nullas neq; diuinās,
, neq; humanās leges licere de religione cognoscere.
Hæc Hosij Pseudoepiscopi Varmiensis, non mea
sunt verba Latome, ne qd putas me temerē effutire.

Quod verò & in Ecclesijs nostris abusus & su-
perstitiones esse contendis, indoctosq; concionato-
res; qui & quales essent abusus, abs te doceri cupe-
remus. De doctrinaloquimur & uero Sacramento=rum vſu, disciplinam laxatam esse & dissolutiorem
quam velimus, nobis dolet: quæ tamē decentior est
& magis sœuera apud nos, quam in vestra impieta=te, vbi quod libet, licet. Superstitionum tantum ha= bemus, quantum nobis reliqui fecit Papistarum in= credulitas, quas difficulter ex animis hominum, lō= go vſu inueteratas & magna authoritate confir= matas euellere possumus. Tantum ergo supersticio= nis in nostris accuset Latomus, quantum adhuc Pa= patus vestigiorum apud nostros viget: cui etiam in scitiam concionatorum magna ex parte debemus.
Cum enim ad normam & regulam Euangelicæ do= ctrinæ instaurarentur Ecclesiæ, nec copia eorum es= set, qui docte cōcionarentur, penuria hominum fa=ctum est, vt in officio retinerentur, qui mediocriter & tolerabiliter populum de vera religione docere possent. Quo minus uero in hoc lōge omnium fœli= ciissimo seculo eorum copia sit, facit vestrorum cru= delitas, qua recte docentes & abusus saltem taxantes
necantur. His periculis deterrita imprudens adole= scientia,

scientia, ad alia vite necessaria studia sese consert. Atque
hoc modo sit, quod apud Prophetam scriptum le-
gitur: quisque in domum sum properat, domus autem
Domini negligitur. Cui malo nisi medeantur propriij
Principes, maior inopia doctorum, inscitia et barba-
ries posteritati expectanda erit, quae in summa feri-
tate hominum tandem omnia pessundabit, & me-
tuo, vastitatem faciet.

De opere operato & applicatione Missæ, quo-
modo neget Papistarum errorem, miror, cum au-
tor libri, cui titulus est, Rationale diuinorum offi-
ciorum, affirmet, damnatis quoque prodesse factam
pro illis Missæ oblationem, qua illorum pregnace mit-
tigentur, qui fide carent, qua sola fit beneficiorum
Christi applicatio. Et Augustinus in libro de octo
Dulcitij quæstionibus: Quibus autem prosunt sa-
crificia altaris, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remis-
sio, aut certe vt tollerabilior fiat ipsa damnatio. Alias
non ignoror, quid de opere operato disputent The-
ologis scholastici, ut verum fatear, viri non indocti,
quorum rationes omnes in dogmatum explicatio-
ne papales inuerterunt Hypotheses. Iis enim con-
tradicere cum nefas iudicarent, omnes ingenij vires
exeruerunt, vt oracula vestri idoli aliqua specie veri-
tuerentur, sed quid senserint, ac si liberum fuisset, do-
cturi quoque erant, monumenta testantur. Consen-
tire enim scholasticos, scholasticos, inquam, consen-
tire si affirmes, ne mihi vehementer impudens ui-

Vide lib. 7. in
capite de officio
mortuorum.

I n deberis

ADVERSVS BARTHOLOMÆVM LATOMVM

deberis Latome, non dico in rebus paruis, sed magis præcipuisq; quæ si in lucem producerentur, ea=rum collatione, quæ nos tros offendunt, disputatio=nes & contentiones, vix vmbra videbuntur, vscq; adeò ingens est Papisticorum doctorum consen=sus, quorum scientia ferè in scholasticorum stultis & iniutilibus quæstionibus consistit, inter quos docti=or est, qui plures excogitare & afferre potest, sanæ doctrinæ ignarus.

Sed & ego nimium prolixus videbor Christiano lectori, extra causam disputanti Latomo tantum obsequi, ut omnem eius vanitatem mihi refutandam existimē. Quare si quid peccatum est abs me, lector expendere velit, quam non silentio præterire po=tuerim.

Demonstrasse autem me confido, primam Eccle=siam minimè fuisse rudem, quæ ritum à Christo tra=ditum religiosè tenuit, quam adeò rudem singit La=tomus, vt Apostolis non integrum fuisse arbitretur eius temporis laicis calicem subtrahere, qui eis sal=tem propter ruditatem suam ad tempus conceden=dus erat. Quam rudes vero sit Ecclesia, quæ institu=tionem Christi ignorat, aut quæ hominis decretum authoritati verbo & voluntati Dei præfert, æquo lectori cogitandum relinquo, quæ tot habet non dico rudes sed rudentes pastores, vt populum de voluntate Dei, deianua & porta cœli docere pror=fus nesciant, Plæricetiam à sua uocatione & officio alienum

standab

alienum arbitrantur sacrificuli & Monachi, ad boatum tantum horarum Canonicarum & tres missas uncti, quod huic Iurisperito ignotum non est. Hanc si in omnem partem formatam agnoscit Ecclesiam, si hos arbitratur expolitos Ecclesiæ pastores, sibi seruet, nos cum prima Ecclesia ueritatis ruditem, expolitione mendacij non commutabimus; sufficiat nobis in rudi crassa & simplici institutione & uerbo Christi quiescere, dum illi acutè de concomitantia, de periculis circa calicis usum disputationem. Nos rudiores sumus, quam ut ea intelligere ualeamus. Seraphicorum hæc sunt & cherubicorum, Lamoni, Staphyli, Hosij & aliorum eius generis Prophetarum.

Docui etiam, quam friuola & nulla ratio sit, qua calicis usum in cœna propter sacrificium retentum fuisse dicit, cuiusmodi nullum à Christo institutum est, cum præcipue ac principaliter ut biberetur eius sanguis, instituisset Christus, non ut offerretur, si-
cut eius uerba clarè sonant. Et quam nihil noui in hac parte attulerit, satis ostensum est. Nunc ego quoque tua uestigia secutus, pergo ad reliqua.

Etsi uero satis erat, meoq; me officio defunctum arbitrabar, ueritatis doctrinam à corruptela, Christi honorem à blasphemia, & primæ Ecclesiæ puritatem à contumelia hominis vindicasse: Quia tamen prolixam de sua meaq; uocatione & utriusq; studijs & moribus instituit disputationem, ad ea quoq; bre-

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM
uiter respondendum duxi, ut saltem uenenatam eius
calumniam detegam, qua me in totius ordinis Iure-
consultorum odium adducere conatur, nugator pe-
tulantissimus. Id quomodo sese habeat breuiter ex-
ponam.

Pag. 42. ., Exclamat Latomus: Nefas est Theologica attrac-
. Etari à Iurisperitis, & Grammaticis: & insultas ad-
. uersarijs, quibus res ad tales patronos redierit:

Hoc loco quam maligne uerba mea deprauet ua-
niloquus Rhetor, candidus lector cognoscere dig-
netur. Nefas enim esse, Theologica attractari à Iu-
risperitis, mihi per omnem meam uitam in mentem
uenit nunquam. Quin potius illud Mose in ore ha-
beo semper, quis det ut omnis populus prophetet.
Ideoq; non solum à Iurisperitis & Grammaticis sed
Cerdonibus quoq; uellem utiliter tractari sacra.
Quod autem in te scripsi Latome & Grammaticum
Embricensem, ut intra fines uocationis uos contine-
atis, uestra impietate factum est, qua non piorum lu-
reconsultorum & Grammaticorum exemplo sacra
tractare, sed prophanare & conculcare, demonstra-
tum est. Impius tuus Grammaticus, impium sum-
morum pontificum aduersus Christum iustificat iu-
dicium. Tu Christi & Apostolorum doctrinam ru-
ditatis accusas, qui propter populi ruditatem perfe-
ctiorem tradere non debuerint uel ausi fuerint, do-
nec Ecclesia confirmata, per sanctos patres expolire-
tur, hoccine est sacra tractare: hoc ne est propheta-
re, &

re, & scripturam utiliter interpretari? quis pius hanc uestram impietatem non detestaretur?

Quod ex vulgo quidam docendi munus in Ecclesia usurparunt, sicuti sine legitima uocatione factum est, non probamus, cerdones & sordidissimarum artium exercitores non paucos rectius de religione iudicare, quam te iureconsultum et Grammaticum tuum compertum habemus. Et ut uideas quanti oleum & operā uestram faciamus, quae iungendis sacrificulis impenditis, ex plebe non erubescimus ministerium docendi committere, qui ad docendum apti sint & idonei, cum nihil minus praestare queat uestri sacrificuli. Ea de re si dubitas, unum cerdonem, sactorem uel futorem patiemur cum centum sacrificulis congregari, palmam tu spectator pro tua eruditione cui tribueris, tuo iudicio & sententia stabinius.

Quomodo ad scripturæ sacræ tractationem accesserim, suo loco dicetur. Cur autem Bredenbachius à disceptatione dogmatum religionis exclusum, in hyperaspiste meo satis luculenter demonstravi, quæ si à quoq[ue] solide refutata fuerint, agam DOMINO uolente, quod homine Christiano non indignum erit. Cuius impietatem quomodo probare audeas, satis mirari nequeo. Nam ut ingenuè quod res est, fatear, Grammaticus est & nihil amplius Bredenbachius, cuius eruditionem & virtutes tu prædicas.

Qnod

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Quod nomen doctoris in me suggillas , scias tibi
titulum aduersus Latomum scripto libello à me non
factum , qui quomodo id affecutus essem nomen ,
docere possem , modò hoc labore uanitatem tuam
dignam iudicarem . Publicum præceptorum meorum
rum de me factum iudicium nō aspernor , qui tenui-
tatis meæ mihi probè conscius sum . Eo certe nihil
indignum uel aduersus Bredenbachium uel te com-
misissime , certus sum . Quem enim tu appellas uirum
honestum & eruditum , hunc ego blasphemum , cō-
tumeliosum & mendacem demonstraui esse Gram-
maticum , quem etiam non per contumeliam sed ad
rei ueritatem declarandam , Grammaticum appella-
ui , quòd solum Grammaticus esset , non Theolo-
gus .

Pag. 51. Cum miratur Latomus , cur ipsi cum Bredenba-
,, chio suo minus liceat ponere operam aliquam in co-
,, gnitione sacrarum literarum , quæ ad cognitionem
,, ueri Dei cultus , ad explicationem fidei , ad salutem
Pag. 52. uniuscuiuscq; pertinent ; Addit , an quia laici sumus ,
,, tractamus domestica , uxores , liberos habemus . Sed
miror te adeo obliuiosum esse , ut non memineris
hoc tuorum aduersus nostros sacrificiorum &
Pseudoepiscoporum commentum . Non ignoras ,
ut opinor , qua ratione Illustrissimum principem
meum Christophorum Ducem Vирtembergensem
à ueræ religionis cognitione reuocet fratercu-
lus tuus Dominicanus Ałotus . Puto etiam te legis-
se , quod

se, quod Pseudoepiscopus Vvarmiensis Stanisla= ns Hosius nuper aduersus prolegomena Brentij scri= psit. Cum enim idem probandum susciperet Bren= tius, quod hoc loco abste piè scriptum est: ideo prin= cipibus etiam collocandam operam in cognitione sacræ Scripturæ, quia ea ad cognitionem veri Dei cultus, ad explicationem fidei, & ad salutem vnius= cuiuscq; pertineat. Quid Hosius? Nullis neç diuinis & neç humanis legibus id principibus licere, ut de religione cognoscant & iudicent, impudenter affir= mat. Qui ergo principibus hoc derogat, quod ad so= los Episcopos pertinere affirmet, quomodo tibi cō= cedet, qui nunc in foro militas, & politici ordinis non obscurum membrum es?

Si ergo ab hoc instituto his rationibus te reuoca= rem, quæ à te allatæ sunt, non mihi, sed Hosio ab te respondendum erit, qui tam magnificè de vestro politico ordine sentit. Ego verò paulò ante ostendi, non verum esse, quod mihi falsò tribuis, quod à scripturæ tractatione te repellam, quia iureconsultus essem, hoc enim nomine, tibi omnibusq; Christiani integrum esset: sed quia infeliciter & impie eam tractares, ut tibi in hoc genere scribendi temperares, te monendum duxi, quod ne quidem professione Theologo esset concedendum.

Quod iniquè & contumeliosè aduersus me pro= nunciat: si mihi lege permitteretur, me una uxore uiua, alteram etiam & quartam ducaturum, qua ra=

K tione

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM.

,, tione permotus sit, præstat audire. Nec mirum, in=
,, quit, cum spretis Ecclesiasticis sanctionibus, ueritis
,, etiam te nuptijs copularis, ~~indegis~~ hæc est non Dialec=
,, tica probatio Latomo. Sed heus tu: ministerium
docendi priusquam susceperam, qua lege prohibe=br/>bar uxorem ducere: coniugatum ab officio ecclesia=stico, quis me arceret: si cætera idoneus iudicatus
fuero. Ecclesiasticis, inquis, sanctionibus id facere

1. Tit. 4. prohiberis. Sed quo spiritu profectis: Apostolus
doctrinā Dæmoniorum appellat, quæ coiugia pro=hibet. Si piaculum est, Ecclesiæ ministrum coniuga=rum cōsuevit, qui inter alias Episcopi conditiones numerauit Paulus: ut sit unius uxoris vir: unius aīs fortè
præbendæ. Verum Paulus, quæ Episcopi familia
esse debeat, et cuiusmodi liberorum eius mores, cum
docet, hanc tuorum uanitatem refundit, & addit:

1. Tit. 3. Quod si quis propriæ domui præesse non nouit,
quomodo Ecclesiam Dei curabit: Sed longè expedi=tius tibi ex Propheta tuo esset responsum, si dicas,
Ecclesiam, cum hæc scriberet Paulus, adhuc fuisse
rudem & indigestam molem, ideoq; eius ministris
concessit uxores; sed postea expolita intellexit satius
esse, ut cælibes uiuant Episcopi & sacerdotes, i=deocq; decreto sancitum, ne coniugato ministerium
missificandi committeretur.

Verum, ut tu scias Latome, ego neq; à quoq; E=piscopo unctus sum, neq; unquam me his uestris
legibus uel uoto, uel iuramento subieci. Quare etsi
præcor

præcor Deum, ut toto uitæ meæ tempore superstes
maneat, uxor mea uitis abun dans, singulis annis
parietes domus meæ orna ns vuis longe suauissi-
mis, nequaquam incestis, ut uos conuiciamini, sed le-
gitimis liberis; tamē si res aliter caderet, scio me libe-
rum esse. Sicut Apostolus docet. Ro.7.1. Cor.7.

Quod scribit Latomus: Nostros soluisse discipli-
nam Ecclesiasticam, contemnere uota, deridere cæ= “
libatum, & uirginitatem rem stultam esse, pronun= “
ciasse, partim calumniæ sunt, partim apertissima “
mendatia . Disciplinam enim Ecclesiæ dum pa= “
storibus coniugia permittuntur, non soluimus,
sed instauramus collapsam. Vtrum n. præstat, con= “
cionatorem, iuxta Apostoli doctrinam, coniugatum
esse, an scortatorem? quales uidemus esse plerosq;
uestros sacrificulos. Vtrum disciplinam soluit uel
commendat? Si Ecclesia, inquis, permitteret, præsta-
ret sanè uxoratos esse. Verum tuæ Ecclesiæ nobis
decreto opus non est, qui Apostolorum exemplo
& doctrina satis muniti sumus, nos hoc nomine
in Deum non peccare, cum contra expressum Dei
uerbum in nullius hominis potestate situm sit, quid-
quam statuere. Ac certum est, Ecclesiam, quæ hoc fa-
cit, non Christi sponsam, sed malignantium cætum
esse, à quo omnibus pñs cauendum est.

Vota pia & legitimè facta & quæ in hominis
potestate sunt, nunquam improbarunt nostri, ca-
K ij lumnia

ADVERVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM
lumnia ergo est, quod à nobis cōtemni affīmat Latomus.

Nec Cælibatum ridemus, sed quibus donum cōtinentiæ diuinitus contigit, vt eo vrantur, quibus incommodis subleuentur, ex Apostolo docemus. Est ergo hoc quoq; Latomi mendacium.

Eiusdem generis est, quod nostris adscribit: qui doceāt, virginitatem rem stultam esse & supra vires Matth. 19. hominum. Docent ex sententia Christi pastores; Non omnes capere verbum hoc: & iuxta Aposto-
z. cor. 7. lum, vnum habere donum sic, alium sic: Peculiare Dei donum est virginitas: cui datum est, gratus sit Deo, & eo bene vrtatur, vt non tam corpore quam mente quoq; virgo permaneat.

Votum quidē virginitatis Lutherus appellauit stultum, quæ vouetur promiscuè ab omnibus, qui in collegia & monasteria detruduntur, quibus nondum constat, an hoc donum à Domino habeant, quod in ipsorum potestate non est. Sed quòd ipsam virginitatem appellari stultam, hoc Latomi commentum est.

Atq; hoc loco vides profectum Latomi in scri-
ptura sacra, qui cum semel trās gressus esset verecun-
diæ fines, nunc grauiter impudens est, vt ipsum nul-
lius mendacij amplius pudeat.

Ab hoc scriptioñis genere, non Grammatica, nō Rhetorica, non Iurisperitia, sed verē Theologie im-
peritia te arcet, Grammaticumq; tuum Embricen-
sem.

sem. Non enim titulis pugnamus inanibus, sicut tu odiose inculcas, vt id mihi Doctori liceat, quod Magistro & Iurisperito non liceat. Dixi supra, hoc Praeceptorum meorum de me esse testimonium, quod si tibi dolet, triplici authorica contigisse scias, pontificia quoq; non excepta, quam ego flocci= pendo.

Quis te Brentio, ais, aduocatum? quis propugnatorem constituit, an ille non potuit causam suam agere per se? Si temerè, nemine iubente hoc suscep= tum esset à me, fortasse aliquam causam haberet reprehendendi Latomus. Nunc autē si scribam, Colle= gij nostri cōsilio & hortatu factum esse, fortassis hoc nomine me excusatum habebit. Quod si minus ele= ganter, q̄z Latomus et Iudimoderator, qui artes dicē di profitentur, certè magis piè ac verè scripsisse me, penes lectorē esto iudicium. Potuisset sanè id melius Brentius nudus, quām ego cum galea, lorica & Cly= peo. Sed indignam iudicauit Grammatici impieta= tem sua opera refutari, & sunt longè vtiliora & ma= gis necessaria, quæ agat. Nobis, qui eius collegæ su= mus, hoc imponere visum est, vt Illust. nostri Prin= cipis confessio, in quam prolegomena Brentij con= scripta sunt, quæ Grammaticus contumeliose exa= gitauit, à calumnijs vindicaretur & assereretur.

Quapropter non est quòd vobis iniustum aut inopinatum bellum indictum esse, conqueraris. O= pinari enim potuistis, nūquām defuturos, qui ho=

K ij norem

ADVERSVS BARTHOLOMAEV M LATOMVM

norem Christi aduersus blasphemias sint defensuri.
Tamdiu enim nos habebis aduersarios, donec sen-
tentia impia mutata, te veritati æterne, humanis im-
pijs constitutionibus abiectis, subiicias.

Me non læsum esse à Grammatico, qui dicere
audes? Nolo hīc prolixè commemorare, quam con-
tumeliosè in Brentium Theologum inuehatur Bre-
denbachius Grammaticus. Iam ne ferendum est, in=
quit Grammaticus, ut vnuš homo, hactenus igno=
tus, nulla re bona commendatus, sed enormibus fla-
gitijis & sceleribus recens innotescēs, sua audacia &
conuiciandi libidine penitus totius orbis christiana
decreta conuellere audet: &c. Videlur ne tibi læsus
Brentius: cuius fama, cum apud exterros integra
esset, audit tamen ab hoc Grammatico, flagitosus
& sceleratus. An Brentio licuisse negabis, per colle-
gam huius Grammatici reprimere insolentiam: &
nomen suum à contumelia tueri?

Verum, non res nostra agitur, negotium longè
maiis est fama nostra, quam D O M I N V S vindicabit: veritas asserenda est à Grammatico læsa, quæ
in confessione principis nostri continetur; cuius ali-
quot Capita in prolegomenis Brentij commemo-
rantur & defenduntur. Causam ergo non collega-
rum meorum solum, sed cōmunem cum fusciperē,
quo clypeo magis munitus esse poterā aduersus tela
vestra, quām scuto fidei, in vera scripturarum intelli-
gentia ipſoc̄ Christo fundatæ: Aduersus eam tua
vel Grammatica vel Rhetorica nihil proficies, cum
regnum

regnum Dei non sit in sermōne, sed virtute, quæ e= ^{1.Cor.4.} tiā in infirmitate balbutiente perficitur.

Prouerbio, quo v̄sus sum, in meo scripto, Iure= consuktos non læsos esse, nisi malignus accesserit in= terpres, negare nemo poterit. Quod vero tu aliud in nos torques, vtinam verum non esset, Sed nō te= merè in peruersos doctores usurpatum esse, res ipsa docet. Id tū ad me quoq; ptinere arbitrabor, cum doctoris nomen restituerit Latomus, paulò ante ne= gatum, et in doctrina religionis peruersitatis me cō= uicerit. Nouorum dogmatum mihi conscius non sum, sed vetustatis doctrinæ cœlestis amans, primā Ecclesiam, à ruditatis nota, & simplicem eius doctri= nam à peruersitate hominum vindicare studeo.

Legi in hoc genere scripta tua à multis, non mi= ror, dictio enim tersa est, vt tua laude te non priuem, quæ sola lectorem inuitare posset. Legitur autem ab ih̄s potissimum, qui in eodem tecum errore suffocati, pluris hominum decreta, quàm Christi verba & in= stitutionem faciunt, eaq; laudant & cōmendant, vt similes habeāt labra lactucas. In eorum lectionē cum inciderint nostri, dolet eis donum tibi diuinitus cō= cessum huic impietati seruire, quod ad Christi glori= am & honorem tuendum, veramq; Ecclesiae doctri= nam propagandam datum erat.

Cohibendum te esse, ne amplius scriberes, fateor me, liberiore Iurisperitorum compellatione, monu= ille. Hoc tu mihi meiq; similibus iam olim indi= cendum

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM
tandum fuisse censes. Aequam ergo accipiamus cōditionem ambo. Vtricq; interdicatur nostrum. Sic enim ueritas ex parte nostra non periclitabitur, quæ etiam me tacēte suos habet idoneos patronos; & abs te minus errorum & blasphemiarum in Ecclesiam introducetur.

Literas sacras à te infoelicitr tractari non solum
in libello aduersus Grammaticum scripsi, sed quām
uerum sit, hac responsonie me ostendisse spero; iudi-
cium penes pium lectorem esto. Atcq; hoc loco de-
nūo Rhetoris huius notanda est tergiuersatio, videt
enim se se ita constrictum, ut elabi nequeat. Quid ita
(inquit) obsecro: An quia Ecclesiam rudem appell-
lauī, eō quod didicerit aliquid ab Apostolis & Pa-
tribus. Non hoc quæritur, an Ecclesia aliquid ab A-
postolis didicerit, quis hoc negauit unquam: sed
hoc quæsitum est: an Ecclesiae primæ doctrina rudis
fuerit, quæ Christi institutionem seruabat, ea uero
magis expolita, quæ hanc institutionem mutauit:
hoc quæritur, hic tu magis mutus es quām pīscis,
aliò delaberis, & orationem de allījs instituis, cum de
cāpis esset quæsitum. Sed vetus hic est Sophista-
rum & uaniloquorum Rhetorum mos, in uero
Christianismo iam pridem explosus. Miror orato-
ris tibi excidisse præceptum, ut argumenta quæ
soluere nequeas, risu non excipias. Sed fortasse gra-
uitatem tuam non decet risus, qui non nisi stulta-
rum est.

Pag. 55.

Liber

Liber tuus cum extaret publicè contra ueræ Ecclæ doctrinam scriptus, quomodo nunc priuatum esse uoles? Brentio negotium fuit cum Azoto, quid hoc ad Grammaticum Embricensem: huius laborem commendas, qui non lacessitus in Brentium est contumeliosus & in ueritatem blasphemus, mihi autem uitio uertis, quod obiter saltem tuæ impietatis mentionem fecerim. Id ego non sine prouidentia Dei factum existimo, ut priusquam huic cōcederes, admonitus hanc tuam impiam recantes uocem, quam nullo colore regere, nullo ueritatis testimonio comprobare te posse vides.

Nollem tibi linguam excisam, sed maiore pietate & ueritatis amore imbutam, sic enim non solum ornatæ, sed pie, uerè & utiliter sacra doceres et scriberes. Ego sane mihi meam excisam mallem, quam in Ecclesiam primam cōtumeliosam et Christum blasphemam linguam. Tuam ut DOMINVS suo spiritu soluat, et à uanitate liberet linguam, ex animo precor doctissime mi Latome, usq; adeo me tibi hostem esse scias. Ego, quod in te scripsi, non iniuriar aut contumeliam esse iudico, sed officium, quo te impietatis tuæ admonui, et adhuc admoneo, ne hac turpitudinis nota, cum Sophistarum turba, coram tribunali Dei compareres, alterum pedem in sepulchro habens.

Quomodo ad alia pleraq; in religiosis controversia scriben da accesseris, à quibus prouocatus &

L lacessitus

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Iacessitus, nō magnopere curo; sed quod de nouissimo Vvormatiensi abrupto Colloquio scribis, q̄d va-
num sit, & quām tibi non data sit occasio in nos ea
importunitate debachandi, paucis docendum duxi.

Priusquam verò hoc agam, lectorum pium cela-
re non possum, quantum nō mihi solum, sed omni-
bus doluerit, quotquot ex parte veræ ecclesiæ Chri-
sti colloquio interfuerunt, cùm suis vanis scriptis
& clamoribus christianum orbem replerent, ani-
mosq̄ hominum præoccuparent aduersarij, nobis
integrum non fuisse, propter datam fidem, veram
causam abrupti colloquiū vel nostris vel aduersarijs
exponere, donec auctorum in comitijs Augustanis
facta est coram omnibus imperij ordinibus publica-
tio. Quantumuis verò durum ac propemodum in-
tolerabile videbatur, cum non de fama nostrorum
solum, sed gloria Dei ageretur, maluimus tamē vos
ad breue tempus in vanitate vestra exultare & glo-
riari, quām cōrra datam fidem, ante præscriptum &
definitum tempus, quidq̄ eorum effutire, de qui-
bus ad tempus autoritate Imperij nobis silentium
impositum erat.

Nunc verò, cum hic dies illuxerit, vt publicatio-
ne auctorum facta, omnes Imperij ordines intellexe-
rint, per nos minime stetisse, quò minus in instituta
collatione progressum fuerit, speramus excusatio-
nem nostram eo plus gratiæ apud æquum lectorem
habituram, cum viderit vanitatem vestram, non in
abditu

abditō angulo , sed celeberrimo Imperij consessu,
actorum recitatione in lucem productam esse.

Quæ etiam apud vestræ partis saniores homines
profecit, ut ex parte tantum aliqua adhuc hæsitantes,
iam nihil prorsus vel ob hanc solam causam du-
bitent, uos malam causam suscepisse defendēdam, in
qua Christum, A postolos & Prophetas, Iesumq;
Dei & verbum & scripturam recusatis iudicem.

Negare nō possumus, incidisse inter noscos con-
trouersiam aliquam, sed de re, quæ ad uos nihil p^{ro}re-
sus pertinebat. Litigabatur n. de personis quibul-
dam, quas propter errores sparsos vel admissos, pars
damnatas volebat, pars vero altera, cum errorum
nondum conuictas iudicent, & adhuc in viuis sint,
audiendas prius & admonendas, quam damnata-
das iudicabat. De doctrina autem quā constans fue-
rit consensus, ad lenenses prouoco Theologos, ip-
sorumq; collegas, qui prius discesserant, q; inter no-
scos & Papistas solueretur Colloquium. Audis hec
Latome, audis inquam. Ipsiſ discedentib., nostri Col-
loqui continuationē vrgebant, sed nulla ratione ei-
us progressum impetrare potuerunt à vestrīs. Ac ne
tunc quidem Regiæ, nunc autem Cæsareq; Maiesta-
tis interposita autoritate compelli potuisse, certum
est. plausibilem scilicet , dissensiones nostras in toto
christiano orbe traducendi occasionem nacti.

Sed longè alia subest ratio, quæ abrumpendo col-
loquio causam dedit, sicut colloquij acta, virinq; per

L ij Notarios

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Notarios scripta testantur. Nā statim ab initio cum de iudice controversiae disputaretur, & nostri æquā conditionem offerrent: Scripturam sacram esse iudicem, ad cuius veram explicationem & mentem vtra pars proprius accederet. Vos solam scripturam sacram iudicem admittere noluistis, eamq; materiā litis appellastis, quæ muta sit & ambigua: prouocasti autem ad Pontifices, Cardinales & Episcopos, qui ante hæc tempora uixerunt. Hanc conditionem dñi potuerunt accipere nostri: cum vtracq; pars de hoc, sicut alijs quoq; controversis articulis suam sententiam afferret, ordinibus Imperij cognoscendam, & quid in ea re facto opus esset, deliberandum. Pontificum enim & Episcoporum multorum seculorum errores & impietatem accusarunt nostri, qui verè materia sunt huius litis. Hos pro iudicibus agnoscerent nostri: Si vero bonam causam habent, cur scripturam reformidant iudicē, expressum Dei verbum: quæ inquam scriptura sacra nullo modo litis materia est, sed omnium litium & controversiarum dijudicatrix. Defendunt vestri transubstantiationem in coena adorationē, inclusionem, et circumgestationem panis, atq; oblationem, dimidiatum Sacramentum, purgatorium, inuocationem mortuorum, concursus ad statuas mortuorum, iustificationem operum coram Deo, satisfactiones pro peccatis coram Deo, & similia multa. Hæc omnia negant nostri, Hæc materia litis est, propter hæc capita, non propter

propter scripturam litigamus vobiscum; quam nos
expetimus iudicem; sicut D. Augustinum quoque se-
cile legimus. Controversia ista, inquit, iudicem quæ-
rit, iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius pro-
fecerit, ipse dicat: Hic est, inquit, sanguis meus, qui
pro multis effunditur in remissionem peccatorum:
Iudicet cum illo Apostolus, quia & in Apostolo
ipso loquitur Christus, clamat & dicit de Deo pa-
tre, quia proprio filio non pepercit.

Cum ergo dissensiones nostrorum de personali,
ut sic loquar, condemnatione, nihil ad vos pertinue-
rit: & in doctrina fuerit consensus, sacrarum tum tem-
poris regia nunc cæsarea Maiestas acquieuerit: quid
ad dissensiones attinet, in Theologorum nostre par-
tis facta promissione, sese in explicazione singulo-
rum articulorum omnes hæreses cum scriptura &
Augustana confessione pugnantes damnaturos:
Vos autem scripturæ sacræ iudici vestras opinio-
nes subiecte noluistis, protestatione facta: Nisi Pon-
tifices & Episcopos superioris seculi pro iudice ac-
cipiamus, vos in instituta collatione non processu-
ros, siquidem, ut vestris utar verbis, contra negantē
principia non est disputandum. Nostri vero conti-
nuationem colloquiū viserunt semper, et equissimas
conditiones proposuerunt. Judicet nunc totus chri-
stianus orbis, quam vanus sit clamor Latomi, Sta-
phyli, & aliorum, qui abrupti colloquiū causam in
nostros reiçiunt, cuius ipsi sunt authores. Prouoco

Aug. de nups-
tijs ex cōcup.
ad Valer. lib.
2. cap. 33.

L ij ad

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM
ad Colloquij acta Imperij ordinibus in proximis
Augustanis Comitjs proposita.

Hæc èò breuiter commemorare uolui, ut si qui dixeris persuasi essent, de rei ueritate, hac uera narratione docerentur. Non enim ignoror, quantum offendiculi pèpererit abruptum colloquium, quod ex qua causa factum esset, prius declarare nobis integrum non erat, quām acta publicarentur.

Nunc autem totus orbis Christianus sciat, Papistas in Vuormatiensi Colloquio anno 1557. celebrato, hanc ob causam soluisse institutam collationem, quod noluerint sua dogmata scripturæ sacræ subiecte cere iudicio. Hæc inquam una sola & princeps causa est abrupti colloquij. Altera postquam hæc prior iam pridem proposita erat causa, longius accersita & quæsita de dissensionibus inter nostros exortis, per sacram Rom. Regiam tum temporis, nunc Cæsaream maiestatem, refutata est, ne propter eas solueretur colloquium. Si qui enim aliud à Confessione Augustana tueri uellent, aut corrigendum aut excludendum sapientissime iudicauit, cum familiaris & amica collatio non inter sectas, sed duas solum partes instituta esset, eos scilicet qui uel pontificiam sequerentur doctrinam, aut eam, cuius summa in Augustana Confessione comprehensa est.

Hæc cùm ita sese haberent, nec ignorantæ essent pontificiorum artes, ut toti orbi, de nostrorum consensu

sensu constaret soluto Colloquio , excusatio edita est , qua uerè & modeste , quid factum & cuius culpa Colloquium abruptum sit , quātum licuit , exposuerunt nostræ partis Theologi . Contra hanc breuem & modestam narrationem , cum Papistarum religio ad hos patronos redierit , excitatur Latomus , ut notam elueret , quam contraxerant causæ socij . Et quātum ex ingenio eius cognosci potest , ob hanc præcipue causam fecit , quòd sciebat , nos religione dætæ fidei prohiberi , quòd minus ueras causas abrupti colloquij prius orbi exponeremus , quām acta Imperij ordinibus publicarentur . Sed quām uerè plæracq; ab ipso scripta sint , habiti Colloquij publicata acta docuerunt . Piè ergo Dathenus , quòd criminationibus tuis responderit , quem uerbis non uinces , rei ueritate confirmatum .

Ego sane te non odi nec tibi hostis sum , homini , sed impietatem tuam detestor , eamq; in te emendatam malim , quām te abs me lœsum .

Sed cur mihi tantopere hoc nomine succensere potes , quod , l ureconsultus cum sis doctus & peritus , propterea Theologum te non agnoscam , non quod professiones pugnant , sed quia diuersa dona sunt prophetiq; hoc est scripture uera & genuina interpretatione , & iuris atq; legum peritia . Christianus 1. Cor. 14. esse potes , idq; iudicio , eis dono prophetiae careas .

Audi

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

Audi Grammaticum tuum, & inuenies eum docere
hoc modo Ecclesiæ pacem conseruatam iri, si quisq;
sele intra uocationis suæ fines contineat. Si in alijs
omnibus tibi tam probè cum illo conuenit, in hoc
cur ab ipso dissentis? cur hic contemnis eum, quem
mihi contemnendum non esse, subinde mones?

Quæris, cum scribam, te sacras literas infœliciter
tractare, ut tibi ostendam in quo nam pecces, ubi sit
haec infœlicitas tua, in materia ne scribendi an uero
in forma, uerbis an rebus? Sed suprà ostendi, te satis
garrulum esse, nec uerborum lenocinio tuæq; lo-
quacitati deesse quidquam, preter ueritatem. Res in-
quam ignoras, Latome. Res non intelligis, aut si in-
telligis, quod magis credo, fateri non audes, sed ad
demerendum magnatum fauorem linguam uena-
lem habes, ad stabiliendos errores, quibus metuo
tua reluctetur conscientia.

Aug. de do- Perpetua regula est à diuo Augustino quoq; tra-
etrina Christi= dita; scripturam per scripturam, hoc est obscura loca,
ana lib. 3. cap. 26. & 28. per apertiora explicanda esse: si qua aliunde afferun-
tur, ut sint analogie fidei, monet Apostolus: hanc ana-
logiam secutus si fueris, etiamsi quædam minus
commode interpreteris, minus periculi erit. Sed cō-
tra fidei analogiam consensum quorundam Sophi-
starum proferre, nulla ratione ferendum est, quod te
facere, suprà ostendi. Si sanctorum Patrum opera in
multis controuersijs cognoscendis me adiutum
fuisse negem, merito abs te impudens haberer, qui-
bus

bus tamen, ipsis sic monentibus, non plus fidei habeo, quam vel apertis scripturis, vel firmis rationibus scripturæ analogis mihi fecerint.

Solis ne vobis, ait, Euangelicis licet sacris literis operam nauare: nobis veteratoribus non licet: Cur non liceret mi veterator Latome, non enim solum pro publicanis & peccatoribus, sed etiam pro veteratoribus mortuus est Christus, cuius meriti participes facti, veteratores esse desinunt, quæcunq; enim agenda suscipiunt, non veteratoriè, hoc est, vafre, versutè, callidè & subdolè, sed aperte, sincere, & in simplicitate cordis agunt. De authoritate ne dubites, Ciceronis adscribam locum, quid per veteratorem intelligat: Certè non aperti, non simplicis est, inquit, non ingenui, non iusti, nō viri boni, sed veri sui potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi veteratoris, vafri. Hæc tot & alia plura nonne inutilis est vitiorum subire nomina, loquens de his, qui dolum malum committunt. Non ignoror, aliter a pud Vlpianum usurpatam hanc vocem, ego vero Ciceronis autoritatem secutus, communiore significatione eam interpretatus sum. Studio hanc vocem abs te usurpatam nō dubito, qua cum te tuosc; ornes, ego quoq; hanc laudis partem vobis non addimam, mi veterator Latome, modo memineris spiritum sanctum auersari veteratores, in quorum animam non intrabit sapientia.

Cupis tibi ostendi, quos pontificios vñquam de-
M fenderis

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM

fenderis errores. Id me nunc præstítisse existimo.
Quod autem tu nondum pro errore agnoscis, tua
non mea Dialectica factum est, qua nondum collec-
tionem percipere potes : errorem esse omnem à
verbo Christi deviationem . Hoc apud me & om-
nes Christi fideles certum, quod si tu nondum intel-
ligis, sensum quoq; cōmunem amisisse videris. Cum
institutione autem Christi pugnare dimidiatum ve-
strum Sacramentum, cæcus videre potest.

De vitis Pontificum, nō est inter nos certamen,
quis enim de re contendere, quæ coram aspicitur,
oculis, lippis & tonsoribus nota, utinam autem non
essent, plura & grauiora, quām à me commemorata
sunt. Nec eorum mentionē aliquam fecissim in meo
aduersus Grāmaticum scripto, nisi contumeliosè in
Ecclesiarum nostrarū ministros inuestitus esset, quo-
rum innocentia nota est nostris. Grāmatico ergo im-
putent Sacrificuli, si quid in ipsis à me scriptum est
acerbius, cuius maledictis respondendum fuit.

Impietatem tuam tibi à me obiectam, nullius ho-
minis scripto, nullo præiudicio, nullius Ecclesiæ au-
thoritate, contra manifestam Christi institutionē &
primæ Ecclesiæ usum excusare vel tueri poteris. Hu-
ic enim omnia præiudicia, omnia scripta, omnes ho-
minum authoritates cedere debent. Vnde vides,
quām miserè deceptus sis à Sacrificulis tuis, miser ve-
terator Latome.

Si ex me serio quereres, quod ioco & petulan-
ter

terfacis , quæ esset tua vocatio , demonstrarem , sed quoniam surdo narratur fabula , ad ea quæ cum Grammatico communia habes , te ablegare vixum est.

De mea vocatione , quæ sit , & quomodo me in eadem geram , quia prolixè disputas , mea interest , ut aliquid respondeam .

Ac recte tu quidem , pro singulari tuo in me amore exactissimq; iudicio , Theologum me & Ecclesiæ pastorem affirmas . Quia uero eius muneris præcipuam laudem mihi adimere conaris , vt præclarum nomen a te mihi concessum non negligam , quæ nihil eo indignum admiserim in his , quæ in me reprehenderit Latomus , paucis docebo .

Quæ D. Paulus in Episcopis & Presbyteris Ecclesiæ requirat , non ignoror . Quod vero eorum oblitus sim aduersus Grammaticum actius stringendo stylum , penes lectorem pium iudicium esto . Inter præcipuas concionatoris virtutes à Paulo commemoratur , vt sit tenax eius , quiseundum doctrinam Tit. 1. est , fidelis sermonis , & vt possit contradicentes cōvincere , hoc aduersus Grammaticum enormiter blasphemum præstiti , cuius caput acriore lixiuio dignum erat .

De moribus & conuersatione mea iudicent , quibus cum viuo , Eisi vero meam imbecillitatem agnoscam , quæ soli Deo , quanitas sit , nota est , spero tamen

M. n. omnes

omnes verè pios videre , quām studeam etiam morib⁹ & conuersatione mea D OMINO lucrificare quām plurimos , & offendere (quoad eius fieri posset) nulos , aut perquam paucissimos .

Sed quām impotentis animi in hac parte sit Latomus , prodit . Cum enim in vita mea aliud nihil reprehendere potest , habitum , in quo Vormatiæ concionatus eram , carpit . Ad eorum commemorationem lectorem , tribus crassissimis attentum facit , mendacij . Scribit enim eo loco me insigne exemplum , plū fuisse eorum , qui tractant adiaphora : 1. Qui nihil tribuunt discipline Ecclesiasticæ . 2. Nihil bonis operibus , quæ etiam peccata vocant . 3. Nullas cæteras remonias in Ecclesia admittunt . Quām enim vellemus veram Ecclesiasticam disciplinam , hypocritica abolita , restitutam , ecclesiæ nostræ testes sunt . Bonis operibus suum locum tribuimus , quæ iustificatione hominis peccatoris coram Deo , iuxta D . Paulum , totamq ; Propheticam & Apostolicam scripturam , excludimus , quæ peccata à nobis dicuntur , quia imperfecta sunt , nec rigorem iudicij Dei ferre possunt : ac nisi personæ placerent , propter mediatorē , à quibus fiunt , reuera etiam opera quæ facimus , damnarentur . Sed quia per spiritum Christi inhabitantem fiunt , cuius sanguine loti sumus , placent Deo , & habent promissionem presentis & futuræ vitæ . Cæremonias in Ecclesia retinemus à Christo institutas , & in prima Ecclesia usurpatas , nec de alijs acriter

acriter contendimus, quæ diuinitus præceptæ non sunt, sed ab hominibus inuentæ, modo fidei non repugnant.

Quod Vuormatiæ concionatus sum, nulla temeritate, nulla ambitione, nec ostentandæ doctrinæ meæ causa, quam scio perexiguā esse, factum est, sed collegarum meorum exemplo, à Magistratu pariter & ministris rogatus, ueram Dei Ecclesiam ueteri & Apostolico more allocutus sum.

At quo, inquis, habitu: pulchro sanè ac decoro, " nec Theologo minus, quam tali & loco & tempore digno: ex ueteribus certe hierarchicis uenerabilis aliquem dixisses. At quo tandem ornatu: nihil mentiar, cum sago aulico, paulum infra genua, manica altera picturata circa sinistrum humerum, exercitus utrinque brachijs & cum cultro uenatorio ad latus. Quid hic uult ueterator sibi: Grandes celus non nisi morte piandum, concionatorem in Ecclesiæ conspectum prodire habitu honesto, qui principis sui insigne habeat. Quod scribas, quæ ab alijs audieris, non ipse uideris, uerba tua docent. Manica enim altera, non circa sinistrum, ut tu scribis, sed dexterum humerum ornata fuit. Exertis utrinque brachijs me concionatum, plerique accipiunt, qui tua legunt, quasi manicis dependentibus nudata brachia in actione, monachorum more, populo spectanda exeremus, qua in parte etiam tua conspicua esset uanitas, Actionem autem consuetam, si repræhendis, quo

M iij iudic

ADVERSVS BARTHOLOMAEV M LATOMVM

iudicio facias , alij iudicent . Monachus quispiam
monstrosus , idem si fecisset , non caritatum fuisset
sua laude , Nobis uero piaculum est , manus mouere
aut linguam . Agnosco quod ad actionem attinet ,
meam in ea parte ruditatem , quam solam si accusas-
ses , minus flagitium erat , quam eodem criminie pri-
mitiuam damnare Ecclesiam .

Cultrum venatorum , scio necq; te , necq; qui in
concone erant , conspexisse quēquam , sago meo au-
lico tectum , quomodo ergo quenquam offendere
potuerit , in primis tuas mucosas nares , miror . Nun-
quam nostris cōuiua fuisti , aut ego tuis , vt in men-
sa , inde cultrum de promens à te viſus fuissēm , cuius
gratia solum gestare consueui .

Cum autem diu multumq; cogitarem , cur de
cultro meo id commemorare uolueris , in memorem
uenit consuetudinis sacrificiorum tuorum , qui
bus nescio qua lege integrum non est , quoies , mis-
sificare uolunt , sacro habitu induitis , ad latus ha-
bete cultrum , fortasse ne nouo Deo , per incantatio-
nem sacrificiorum creato , aliquod a furiosis & fa-
naticis sacrificulis creetur periculum . Aut forte quia
Christus panem fregisse dicitur , in ultima cœna
quoq; culter non apponebatur , forcipe fortasse car-
nes Agni distribuentes discipuli , Petrus autem post
ianuam aut fornacem suum piscatorum se posuerat
gladium : aliam rationem ego inuenire nequeo .

Quia

Quia ergo scripturæ testimonio non caret, aut saltem uerisimili aliqua coniectura, quod affers com=mentum, ego, ne in errore pertinax videar, agam, ut intelligas, hanc tuam pontificalem admonitionem mihi non ingratam, nec tibi inutilem fuisse,

Sed quid est, Veterator Latome, quod in habitu meo sine contumelia Illustrissimi Principis mei re=prehendas & offendit te picturata altera manica, quam forte in Colloquij congressu conspexeras. Num rapui mihi eam nolente Principe meo tradic tam cum accepissem, hanc picturam mihi non dedecorifore, iudicauit. Illius ergo uoluntatem, accusare necesse est, cuius picturæ me non poenitebit. Sed cur te picturata manica offendat mea, miror, cum sacrificuli tui in summis suis sacris uti soleant uestem missatica, quam ni fallor Casulā uocant, que aliquoties non solum uarījs coloribus distincta, uerum etiam armis et insignibus nobilium, ciuium & Princi pum ornata est, unde et nomen ornatus fortita est.

Concionatus sum in conuentu Principum quo=rundam, qui ad transigendam causam inter Land=grauium Hassiæ & Comitem à Nassau conuenierant, eodem habitu Francofordiæ, sed qui repræhenderet, quod ego sciam, non erat, nisi forte sacrificulus, cuius quantus zelus pro asserenda Catholica Ecclesia esset, clepsidra proiecta testatus est.

Verum

ADVERSVS BARTHOLOMAEVM LATOMVM.

Verum si hoc principis mei tibi non probatur iudicium, qua ratione excusabis idem ab inuictissimo Imperatore Ferdinando, & III. principe Domino Ludouico Palatino Rheni Electore factum, qui ante hæc tempora suos Cappellanos eodem habitu, quo reliquos aulicos indui ac uestiri uoluerunt: ut ad quam pertinerent aulam, dignoscerentur. Quod uero candido amiculo superinduto usus non sum, scias paulo commodius fuisse inducio intra, quam supra sagum uti, quod adeo demissum erat, ut quod sago deerat, infra genua suppleret. Verum ad Talaos usq[ue] demissam oportuisse uestem, affirmas: Picturata ergo manica excusata est, quam in me reprehendis. Ac restat solum Pharisaica species, qua sagum meum aulicum caruit. Sed qua lege quæso id à me exigitur Latome: fortasse & fimbrias mihi Pharisæorum assues, ut decens habitus sit, hypocritam referens?

Aut quo tandem habitu pro concione mihi utendum fuit: cum adeo ingratus sit tibi, quem principis mei uoluntate usurpau[i]. Num monstroso illo monastico[p]icarum colorem referente, quando albam induit Tunicam, eaçq[ue] circa latera eminente superinduunt cucullam nigrā, aut alterius ordinis beneficio superaddatur mantile, æstatis tempore uel ad abstergendum sudorem ex facie, aut manus tergendas, aut etiam in alium usum aptum. Aut fortasse noui lebusitarum ordinis assumendum erat uestimentum,

tum, pileis in quadraturam circuli, ad quatuor mun
di plagas directis & accuminatis, ut uix capite ge
stari queant, togaꝝ ad talos usqꝝ demissa: verum si
ad altitudinem insuper aliquid addas, tegere tamen
non poterit impietatem, quam hoc genus homi
num, recens natum profitetur. Posteros, quod de
me commemorasti, non credituros, recte scribis ve
terator, nisi mendatio addicti & calumnijs, locum
ueritati concedere dedignentur, qua tua uanitas re
futata est.

Sed ut uideas, quām nolim hac de re tecum con
tendere, aut quemquam offendere, animo mecum
repetens, quod Christus dixit: qui offenderit unum
de minimis &c. locum tenet. In gratiam tuam non
solum picturatam manicam sa go meo aulico excin
dam, sed & venatorium cultrum latere deponam
meo, ne hoc partim prophano habitu, partim uena
torio cultro, nomen & existimationem p̄f̄ssimi
mei principis prostituam publicē, & quantum in
me est, contumelia indignissima afficiam.

Ac lubens te cultro meo uenatorio donarem, si
ex re tua esset. Sed cum uideam, te ira adeo percitum,
ut ad eam refrenādam, neqꝝ sacrarum scripturarum,
quas egregie calles, scilicet, neqꝝ legum scientia, qua
peritus es, & doctus, quidquam apud te proficiant,
furioso gladium me subministraturum metuebam.
Alia ergo ratione me tibi gratificaturum, & liberali
dono hoc ipsum compensaturum sperauī. Nec sum=

N ptibus

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM.

pribus parcere uolui. Marsupiarium accedo, ut ex corio tibi gladium conficiat, non rudem, sicut prima erat Ecclesia, sed in omnes partes formatum, ut iratus ac commotus uim hostium repellēs tuorum, homicidium non committas. Similiter & picturam ex manica mea rescissam, cum Sacerdoti afferrem, nec panni satis esset, tantum addidi, ut sufficeret ad lirippium: quod duabus nolis ornatum unā cum coriaceo gladio ad te mitto, ne posthac vel tu, uel quisquam aliis prophano meo habitu offendatur, quo ill. ac p̄ss. principis mei quoq; viuntur concionatores.

Videor, me nunc videre te gladio hoc nouo ac cinctum & caputio cum duabus nolis indutum, inter tuos incedere collegas, quibus hæc munera ostentas recens transmissa, quæ præmia accepisti preclarri laboris aduersus clypeatum impensi. Quod si perrexeris, curabo ut à Principe meo quoq; aulico doneris sagō, quod politicum te fortasse ornabit commodius, quam me hierachicum.

Si vero hæc tibi ingrata sunt Latome, quæ propter aulicum sagum meum taxatum accepisti munita posthac à reprehensione tibi caueas eius picturæ, qua ill. Princeps meus non solum aulicos suos, sed & concionatores, quorum opera in profectionibus suis utitur, insignitos esse voluit.

Næc propterea nihil referre opinor, quo quis habitu

bitu appareat in publico , sed tuam stulticiam solum accuso , quod tantum referre putas .

Ac longè dissimilia sunt , quæ profert tanquam paria , ineptus veterator ; non licet saltare nudum in foro , concionari in stola muliebri , Ergo nec in tali habitu , quem sagum aulicum appellat veterator , concionari licet . Nec furiosus est , qui honesto habitu induitus in conspectum Ecclesie prodit ; hæc dñu dicet , non solum , qui diuinarum humanarumq; rerum scientia , sed mediocri saltē rationis beneficio preditus est .

In mores ergo & disciplinam me non peccasse nihil dubito , eo habitu concionatus publice , qui neminem iure offendere potuerit , nisi qui re quauis si ne causa offenditur ; offendiculum id acceptum , non datum dicimus .

Quid D . Paulus scribat de habitu uiri & mulieris in Ecclesia , non ignoro , sed hoc solum ex te quæro , cum de pileo doceat , cur de toga siluerit ? præstisset enim de ueste magis , quam de pileo præcipere , si Latomo credimus : Nisi verisimilius videtur , Apostolos eandem Ecclesiæ permisisse libertatem quia ipsi passim in suo ministerio usi sunt . Non enim existimo , Apostolos secum circumtulisse candidum amiculum , ut Synagogam ingressi uel cætum piorum salutantes eo induerentur : sed eadem ueste , qua ambulant , in eodem quoq; concionantur , & ministerij sui officia perficiunt .

N ñ Sicut

ADVERSVS BARTHOLOMÆVM LATOMVM.

Sicut ergo non prohibitum, ita nec præceptum quoque est amiculo candido supra togam in templis uti. Maneat hic sua cuique Ecclesiæ libertas, ut in reliquis quæ nihil ad æternam salutem pertinent acquirendam. Sed quid hic ueterator Latomus. Hoc modo uix plebeium à ministro Ecclesiæ, uix balneatorem à concionatore discernes?

Prudenter sane à Pontificijs factum, cum sacrificuli plæruncæ plebeis & balneatoribus rudiores sint, nec sacrarum literarum cognitione, quæ fere in plerisque est nulla, ab eis discerni queant, uel saltē pharisaico hoc habitu dinoscantur. Sed de ueris Ecclesiae ministris longè aliter Apostolus, qui nulli,

1. Tit. 1. nisi ad docendum idoneo, et necessarijs donis spiritus sancti instructo, docendi ministerium in Ecclesia committi uoluit, his discernantur à plebejjs & balneatoribus, quos etiam dupliči honore afficiendos nouit Ecclesia.

Peracutè autem sibi colligere uidetur Latomus, ut probet, adiaphoron non esse, in Ecclesia uti uel non uti candido amiculo. Etsi enim in sacris præceptum esse non legimus, inquit, ab hominibus tamen in Ecclesiam introductum & consuetudine firmatum hunc esse morem. Sed supra ostensum est, non satis esse humanam proferre autoritatem, nisi scriptura confirmetur. Nam ut hoc demus, in Ecclesia humanas constitutiones ferendas, quæ cum expresso Dei uerbo non pugnant, non tamen his laqueum conscientia

scientijs iniiciendum esse, docent apostolicæ literæ; nec eadem necessitate, qua diuina obseruari præcepta necesse sit, sed pro ratione temporum, locorum & personarum mutari posse.

Ac si nulla alia, quam hæc subesset causa, qua cultus Dei in his constituitur, mutatio hæc ad Christianam libertatem asserendam non solum excusanda sed etiam probanda est, & laudanda. Nemo iudicet uos, inquit Apostolus, in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Nouilunij, aut Sabbatorum. Et iterum; Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris (Calices consecratos) ne gustaris, neque contrectaris, quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominum. quæ uerbotenus quidem (nota uerba hæc Latome) habent speciem sapientiæ per superstitionem ac humilitatem animi & læsionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis.

Desinas ergo me quoq; iudicare in meo habitu, qui decens & honestus sicuti mihi est meisq; collegis, ita ea libertate utimur, in quam nos filius Dei asseruit. Desinas nobis quoq; tuorum in hac parte prædicare constitutiones, quas Apostolica conuelit authoritas, quæ speciem sanctitatis habent in ea, quam simulant, ταπενοφροσυνη ησι αριθμιξ σωματος, ουκ εν πυλι πυλι πρεσπλησμονη της σαρκος, Reuera autem nihil aliud sunt, quam

N iij quod

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATONVM.
quod Apostolus hoc loco appellat *ωιλοτρησιαν*, hoc est
superstitio & ficta sanctimonia.

Alia longè firmior est Latomi ratio: Si adiaphor=
ron, inquit, est candidus amiculus, ad fidem non
pertinet, Quod si verum est, ubi tandem, aut qui=
bus in rebus est iusticia ulla fidei in nobis? Nescit
rudis Latomus, qua in refidei iusticia consistat, ide=
oque eius partem in candido amiculo, alijsq; di=
sciplinæ Ecclesiæ moribus querendam docet, quam
vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica in so=
lius Christi merito constituit.

Prorsus autem remoueri per nos à fidelibus di=
sciplinam Ecclesiæ, sicut Latomus de nobis scri=
bit, putidum mendacium est. Disciplinam enim
in Ecclesia & necessariam & salutarem esse doce=
mus. Nec libertas obstat Christiana, quò minus di=
sciplinæ subiecti simus, quin potius disciplinam
obseruant fideles, quia in libertatem uocati sunt.
Quia vero hæc disciplinæ externæ opera manifesta
sunt, ea iustitiam fidei non desinimus, solius Chri=
sti merito descriptam.

Maiorum vestigijs inhærendum docemus, in
quibus ut ille ait, rectè præcesserint: ueritati autem
nulla consuetudo, nullius hominis præscribere po=
test authoritas.

Nec tam ignari sumus, ut non intelligamus, in=
firmorum rationem habendam, atq; ita utendum
adiaphoris, ne infirmus in fide offendatur. Pro lege
autem

autē habere uelle, quod ad tempus infirmis conce-
ditur, id demum à mēte Apostoli alienissimum est.
Qui enim nunc carnium esu abstinet propter infir-
mos, ac Timotheum circumcidit, is alio in loco ne Gal. 2.
ad momentum quidem cedit, ijs, qui ingressi erant
ad explorādam libertatem, quam habemus in Chri-
sto Iesu, quo ipsos in seruitutem redigere uolebant,
Ideoq; Titum circumcidī non est paſſus.

Si qua ſpes eſſet, liberandi uos errore, quo ad ue-
ſtrum aliorumq; æternum inuoluti eſtis exitium,
publica iudicata poenitentia, ſatisfactioneç im-
poſita, offendiculum ſago meo aulico cultrocq; ue-
natorio Ecclesiæ datum expiarem. Sed cum nota ſit
obſtinata uestra malitia, nec imbecillitate aliqua of-
fensus, ſed odio ueritatis agnitæ percitus, quia do-
ctrinam conuellere nequeas, ad ſagum meum auli-
cum te conuertis, quid hac in parte uobis tribuen-
dum ſit, iam oſtenſum eſt.

Hibes nunc Clypearum tuum, ſagatum, cum pe-
raſo ſuo uilloſo, eumq; fabri, non lignarij, aut lapidi-
cidæ, ſed ferrarij filium, non clypeo ſolum fidci, ſed
etiam malleo uerbi Dei instructum. Etiſi uero lap-
idibus ſit ſua durities, cum ferro tamen eis inſcœlix
ſemper certamen fuit. Poſthac ergo, niſi deſinas mi-
hi moleſtus eſſe, ſuper incudem te reuocabo, tuaq;
ſomnia malleo ſpiritus sancti, Domino uolente, ita
comminuā, ut uidere queas, q; inuicta ſit æterna pro
nobis

ADVERSUS BARTHOLOMAEVM LATOMVM.

nobis pugnans veritas , aduersus quam humana
somnia consistere nequeant. Faxit autem Deus opt.
max . ut lapis fias uiuus domus spiritualis , ædifica=
tus super firmam petram , quæ est Christus , eacþ,
insertus , nunquam excidas. Amen.

Respondisse me tibi de vsu calicis in primitiuā
Ecclesia : teqþ impietatis & blasphemiae conuictum
confido , qui primam Ecclesiam rudem appellaris ,
sic cum ea conferatur , quæ vsum calicis in commu=
nione laica intermiserit , Et quam uane sit tua de
sacrificio Missæ extra propositum instituta differ= =
tatio , perspicue & breuiter demonstrauī. Detexi
etiam virulentam calumniam , qua me in odium Iu=
risperitorum adducere conatus es , vt qui doceam ,
sacrarum literarum & Iuris studia pugnare , cum
ego tuam solius in sacris literis inscitiam , ruditatem
& impietatem demonstrauerim , Reliquorum sicut
exoscular doctrinam , ita etiam reuereor pietatem ,
qui magis sobrie in sacrorum librorum lectione
versantur . Quos tantum abest vt à propagatione
veræ doctrinæ arceam , quin grato animo eorum
labores me suscepturum affirmem , qui veritatis do= =
ctrinam doctè , piè & vtiliter interpretantur . A= =
pud quos etiam me excusatū spero , quò minus
propter tuas calumnias , ipsorum à me abalienentur
animi . Vocationem meam contra tua menda= =
cia

cia & nomen meam à contumelia asserui. De sago
meo aulico, quod respondi, factum est à me, non ut
te lederem, sed ut nomen & honorem illustris, ac
prissimi principis mei vindicarem, & libertatem
Christianam in hac quoq[ue] parte assererem. Ac te de=
novo fraternè & vnicè moneo, ut te aut intra fi=
nes uocationis tuę contineas, aut scri=
pturam & Christi instituta
magis sobrie tra=
ctes.

F I N I S.

O

ANIMADVERTENDA

& corrigenda.

Prior numerus paginam, alter lineam indicat.

Pagina 4. linea 21.b. pro pueris lege pupis. 9. 23.b. ~~προτελέσθαι~~
7aq. 13.18.b. hozi. 14.25.b. excusabimus. 16.3.b. nullibi. 18.
5.b. excidamus. 17.25.b. quod 18.28.b. misfitat. 19.28.a. sena-
tiam. 19.24.b. insolenter. 21.21.a. uocifereris, ringeris. 29.15.
a. tuiq; 30.27.b. ad odium. 33.8.a. acquiescere. 34.9.a. ungendis.
36.24.b. gnauiter. 39.9.hinc. 39.15.a. sed etiam. 40.8.a. pro Ie-
sumq; Dei eruerbum erc. lege ipsumq; Deiuerbun. 41.12.a. pertine-
rint. 41.13.4. quod.



